Commentationes biblicae

II

De Judaeorum in Elephantine-Syene colonia eiusque rationibus cum vetere testamento intercedentibus

Scripsit

Franciscus Xav. Kortleitner

Ord. Praem.

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

1927

Oeniponte. Typis et sumptibus Feliciani Rauch.

Nr. 906

Imprimatur

Administratura Apostolica

Oeniponte, die 20. Aprilis 1927

L. S. **Urban Draxl**
Prov.

Imprimatur

Wiltinae, die 20. Aprilis 1927

L. S. **Henricus Schuler**
Abbas Ord. Praem.

Conspectus rerum

Saepius multi Judaei a Pharaonibus in Aegyptum abducti sunt vel eo immigraverunt 1—2.

I

Insula et urbs Elephantine 2—4. Urbs Syene 4. Chnûm, summus deus Elephantines, eiusque templum 4—6.

II

Papyri Aramaicae anno 1904 in insula Elephantine inventae 7—9. Papyri aliaeque res annis 1906—1908 ibi effossae 9—10. Tres illae papyri Aramaicae, e quibus religionem Judaeorum in Elephantine-Syene habitantium cognoscimus 10—13.

III

Variae opiniones, quae de origine eorum Judeorum prolatae sunt 13—18. Quaestio, utrum Judaei illi coloni militares an civiles existimandi sunt, persolvitur 18—22. Sermo eorum Judaeorum erat Aramaicus 22—23.

IV

Judaei in Elephantine-Syene habitantes diligentissime Jahven colebant 23—27. Neque vero Jahve unus eorum deus erat, sed et alia numina venerabantur 27—33. Etsi autem praeter Jahven alia quoque numina colebant, eo neque dignitatem Jahvae minuere neque eius praecepta violare volebant 33—36.

V

Sacrarium Judaeorum in insula Elephantine exstructum erat templum, non tantum ara sub divo intra spatium saeptum posita 36—39. In quaestionem vocatur, quamdiu id templum fuerit 39—41. Eo diruto Judaei omnem operam dederunt, ut veniam eius restituendi impetrarent 41—43. Respondetur ad quaestionem, de quo Dario in PS 1 agatur, quis Jehochanan pontifex et quis Sanaballat sit, quo modo templum in insula Elephantine cum lege de uno loco cultus Jahvae coniungi possit 44—48.

VI

Dies festi a Judaeis in Elephantine-Syene celebrati 48—50. Conversio Aramaica inscriptionis a Dario I Hystaspis rupi calcariae sub monte Bisutûn incisa 50. Narratio de sapiente Achiqar 50—54.

VII

Quaeritur, Judaeine in Elephantine-Syene habitantes sua iudicia habuerint 55, de Judaeorum illorum iure matrimonii 55—57, moribus 57—58, ratione pecuniarum 58, quae ratio Aegyptiorum ordini temporum cum Aramaeorum intercedat 58—59.

Palaestina et Aegyptus inter se finitimae sunt. Atque quamquam lex Mosaica commercio cum alienis gentibus non favebat, tamen omnibus temporibus Israelitis cum Aegyptiis magnus erat usus. Quare ponere possumus iam mature Israelitas in Aegypto consedisse. Ad hoc ex litterarum Aegyptiarum monumentis constat in exercitu Aegyptiorum multos mercennarios fuisse atque existimari licet haud raro Israelitas quoque mercede conductos in exercitu Aegyptio stipendia meruisse. Ex Hos 8, 13; 9, 3—6 perspicimus post interitum regni decem tribuum multos eius incolas in Aegyptum profectos esse.[1] Neque dubium est, quin etiam Israelitae bello capti saepius in Aegyptum venerint. Rege Rehabeam a Pharaone Sisak I victo (I Rg 14, 25s. II Chr 12, 2—9) profecto multi incolae regni Juda in Aegyptum deportati sunt. Item post proelium apud urbem Megiddo (II Rg 23, 29. II Chr 35, 22)[2] Judaei bello capti eo venisse existimandi sunt. Iam antea autem multos incolas regni Juda in Aegyptum profectos esse ex eo cognoscimus, quod Judaeis cum Aegyptiis permultum commercii intercedebat (cf. Jes 30, 2. Jer 2, 18. al.). Atque cum Pharao Necho II regem Joahaz regno adempto captum in Aegyptum abduceret (II Rg 23, 34. II Chr 36, 4), haud dubie multi quoque Judaei eo deportati sunt. Quos omnes partim rursus in patriam redisse, partim cum Aegyptiis ipsis mixtos esse verisimile est, quamquam litterarum monumentis id non confirmatur. Certum autem quendam nu-

[1] Locis allatis „Aegyptum" terram exsilii significare vix recte conicitur.

[2] Anno a. Ch. n. 609, non 608. Conferas *J. Linder* in „Zeitschrift für katholische Theologie" XLVIII, 1924, 456. *H. Greßmann* in „Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft und die Kunde des nachbiblischen Judentums" N.F. 1, 1924, 313.

merum Judaeorum perpetuo in Aegypto commoratum esse primum e locis II Rg 25, 26. Jer 43, 4—7; 44, 1—15; 46, 14 cognoscimus. Gedaljah praefecto anno a. Ch. n. 586 necato multi Judaei ultionem Babyloniorum metuentes in Aegyptum fugerunt, qui etiam Jeremiam et Baruch secum ire coegerunt, et in urbibus Migdol, Tachpanhes, Noph atque „in terra Patros" consederunt (Jer 41, 1—3; 44, 1. 15; 46, 14). Maxima autem Judaeorum colonia „in terra Patros" fuisse videtur (ib. 44, 15). Cum Persis quoque multi Judaei in Aegyptum immigraverunt; alios Persarum reges eo traduxerunt.[1]

De rebus eorum Judaeorum, qui a Judaea in Aegyptum profecti sunt, eorumque posterorum usque ad nostram aetatem nihil constabat. Primis autem decem annis huius saeculi in Nili insula Elephantine atque in urbe Assuân effossiones factae sunt, quibus papyri Aramaicae inventae sunt, quae vehementer pertinent ad historiam Judaeorum sexti et quinti a. Ch. n. saeculi atque ad sacras litteras interpretandas, imprimis ad libros Dn et Esr, qui ex parte sermone Aramaico confecti sunt,[2] explicandos. Praeterea magni momenti sunt, si palaeographiam respicias; nam similiter atque hae papyri Aramaicae olim textus Hebraici veteris testamenti scripti erant. Denique ex iis multa de vitae institutis atque imprimis de religione coloniae Judaeorum, quae ibi quinto a. Ch. n. saeculo fuit, cognovimus; quare nobis singularis sunt pretii.

I

Ubi Aegyptus antiqua a meridie finem habet, Nili insula 3 km longa Elephantine (*Ἐλεφαντίνη*; Plin. Hist. nat. 5, 9, 59: „Elephantis insula"; hodie *Dschezîret Aswân* vel simpliciter *Dschezîre*) sita est,[3] in qua quondam urbs eiusdem nominis (Jos. Bell. Jud. 4, 10. 5: *ἡ ἐλεφάντων πόλις*) erat. Nomen Elephantines interpretatio nominis Aegyptii *'bw* sive *'b* = elephas (Copt. *IHB*, *IEB*,

[1] *P. Wendland*, Aristeae ad Philocratem epistula cum ceteris de origine versionis LXX interpretum testimoniis § 13. 35s. Lipsiae 1900.

[2] Dn 2, 4—7, 28. Esr 4, 8—6, 18; 7, 12—26.

[3] Aetate Ptolemaeorum Aegyptus meridiem versus Nili insulâ *Philae* (*Φιλαί*) terminabatur. Antiquum nomen illius insulae erat *Pi-lak*, ex quo Copti *Pilakh* et Arabes *Bilak* faciebant'. Nunc a Nubiis incolitur atque *el-Kasr* vel *Dschezîret Anas el-Wogûd* vocatur.

EIB; Aram. יב; Graec. *Ἰήβ*) est,[1] quod nomen insulae propterea inditum esse videtur, quod Aegyptii inde ebur Nubiae importabant; nam in Aegypto ipsa nisi antiquissimis temporibus elephantes non fuerunt. Alii autem nomen e forma insulae, qua de elephante admonearis, explicant. Ceterum nomen Elephantines primo totam regionem catarractarum, postea insulam solam eiusque urbem significabat.

Insulâ Elephantine, cum Nilus propter aquas cadentes a mari tantum usque ad eam insulam navigabilis esset, Aegyptus meridiem versus terminabatur. Quare in inscriptionibus Aegyptiis urbs Elephantine „prima terrae urbs" celebratur. Atque ut urbs Aegypti longissime ad meridiem versus sita ab antiquis scriptoribus saepe ad spatia definienda nominatur. Herodotus quidem (Hist. 2, 9) dicit Thebas ab Elephantine 180 stadia (= 356.4 km, re vera circiter 220 km) distare. Aristocreon (apud Plin. Hist. nat. 5, 9, 59) tradit Elephantinen a mari 750 milia passuum, Plinius (ib.) eam ab Alexandria 580 milia passuum (re vera circiter 1150 km) abesse.

Urbs Elephantine, cum castellum in confinio positum esset, magni momenti facta est. Praefecti regii, qui ibi domicilium habebant, et expeditiones in vallem Nili superioris suscipiebant et mercandi causâ eo proficiscebantur atque de utraque re in inscriptionibus sepulcrorum suorum, quae ad ripam Nili in occidentem spectantem exstructa sunt, se iactant. Cum autem aetate regni medii (2160—1785 a. Ch. n.) terra Kusch (= Aethiopia Graecorum) usque super secundam catarractam et aetate regni novi (1580—1100 a. Ch. n.) amplius usque ad quartam catarractam regno Pharaonum adiuncta sit, pondus Elephantines minutum est, quamquam semper „prima urbs Aegypti", quae proprie vocatur, mansit, unde navigatio Nili initium capiebat et ubi merces vallis Nili superioris venibant. Tum et regnum Pharaonum in multas civitates parvas divisum et Aegyptus a Kuschitis (Aethiopibus) subacta est et Assyrii eam invaserunt. Cum tamen Psammetich I (663—609 a. Ch. n.) militibus conducticiis a Gyge, rege Lydorum, missis servitutem Assyriorum exuisset et regnum Pharaonum restituisset, Elephantine quoque prius pondus recuperavit recuperatumque imprimis tum tenuit, cum Psammetich II (593—588 a. Ch. n.) Aethiopibus bellum intulit. Persis regnantibus (525—405 a. Ch. n.) Elephantine, Daphne (in parte orientali Deltae sita), Marea (ad occidentem versus, apud

[1] Nomen Aramaicum יב idem significare atque Aegyptium *'b* C. Clermont-Ganneau primus intellexit (Recueil d'archéologie orientale VI, 1905, 222).

Alexandriam postea conditam sita) castella Aegypti in confinio posita erant (Herod. Hist. 2, 30). Praesidium Elephantines praeter multos Persas milites mercennarii erant, in iis Judaei aliique Semitae. Eorum dux titulo Persico פרתרך *fratarak* vel פרתרכא *frataraka* ornatus erat.

Fratarak est appellatio magistratus alicuius (= tribunus, Germ. Oberst). Comparativis saepius magistratus appellantur, velut *kâlântâr*, proprie „maior", tum „qui urbi praeest" (cf. maire, lordmayor), *mihtâr*, item „maior", tum „praefectus" (cf. פַּרְתְּמִים primores civitatis apud Persas Esth 1, 3; 6, 9. apud Judaeos Dn 1, 3). Titulus *fratarak* ei titulo par esse videtur, quo temporibus Arsacidarum principes, qui in Perside regnabant, in nummis suis appellantur. In nummis posterioris aetatis maior titulus מלכא invenitur, qui auctam potentiam illorum principum testatur. — *M. Lidzbarski*, Ephemeris für semitische Epigraphik II, 213. A. 2. Gießen 1908.

Neque minoris momenti erat eo tempore urbs S y e n e (Aeg. *Swn*, Copt. *Suan*, Aram. סון, Hebr. סְוֵנֵה [rectius סְוֵנָה] Ez 29, 10; 30, 6. Graec. *Συήνη*, Arab. *Aswân*, vulgo *Assuân* = Copt. Suan cum art. Arab.) insulae Elephantine in orientali ripa Nili opposita. Ibi summi magistratus et iudices eius partis Aegypti, quae longissime ad meridiem sita erat, sedem habebant. Quae pars *Taschedres* (= canalis meridianus) appellabatur et usque ad urbem Hermonthim, a Thebis meridiem versus sitam, pertinebat. Ita explicatur, quod exercitus Aegypti superioris in papyris saepius „exercitus Syenensis" nominatur. Syene quoque munita erat et regnante Dario II Notho (423—405 a. Ch. n.) Nephajan, cuius pater Waidrang praesidio insulae Elephantine praeerat, exercitui praefectus erat. Iam antiquissimis temporibus Syene propter granitem lapidem rubentem ibi excisum (Syenit, *λίθος Αἰθιοπικός* Herod. Hist. 2, 86 et saepius) celebrabatur. Ibi obelicsi, qui vocantur, e saxo excidebantur excisique in Nilo ad septentriones subvehebantur.

Summus deus Elephantines erat C h n û m (Aeg. *Ḫnmw* = Chnomew). In inscriptione quadam hieme anni 1885/86 in urbe Assuân inventa atque ab A. H. Sayce edita lin. 32 scriptum legimus: *ιερευς του χνουβ ω νεβ ιηβ* i. e. sacerdos (dei) Chnûm (*χνουβ*), magni (*ω*) domini (*νεβ*) Elephantines (*ιηβ*). Quae est appellatio honorifica, qua Aegyptii deum Chnûm ornabant, Graecis litteris scripta. In papyris Aramaicis semper חנוב *Chnûb* scriptum videmus; in nominibus autem cum eo dei nomine compositis antiquior forma חנום permansit. Nomen Graecum eius dei est *Χνοῦβις*,

cum littera *m* in litteram *b* transierit. Caveas autem, ne eum deum cum deo *Anubis* (*Ἀνουβίς*, Aeg. *Anup* sive *Anupu*)[1] confundas.

Una cum deo Chnûm deae *Satis* (Aeg. *Satet*) et *Anukis* (Aeg. *Anuket*) colebantur. Animal dei Chnûm sacrum in urbe Elephantine capra habebatur. Crocodilos autem, qui in urbe Ombos ad septentriones versus sita aliisque locis colebantur, incolae Elephantines sacros esse non putabant, sed etiam comedebant (Herod. Hist. 2, 69). *Nilus* (*Ἅπι*) quoque in urbe Elephantine colebatur, quia voragines illae occultae prope erant, e quibus Aegyptii amnem erumpere opinabantur et apud quas Pharaones, postea Ptolemaei et praefecti Romani sacra faciebant.

Antiquissima imago dei Chnûm (i. e. signum, quo eius nomen in antiquissimis inscriptionibus exprimitur) est caper vel aries cum barba et longis cornibus. Quae imago aetatis praehistoricae est. In antiquissimis imaginibus memoriae historicorum fide contestatae solum caput formâ animalis, reliquum corpus formâ humanâ est. A quinto decimo a. Ch. n. saeculo Chnûm non modo cum longis, sed etiam cum brevibus cornibus semicirculate circa aures flexis (quae initio Hammonis dei, cui et ipsi caput arietis erat, propria erant eumque a Chnûm distinxerant) effingebatur. Aetate Graecorum et Romanorum saepe cum caeruleo cutis colore et ante rotam figularem sedens, in qua figuram hominis format, effingitur.

In inscriptionibus Graecis et Latinis regionis catarractarum Chnûm saepius cum Jove Hammone (*Ζεὺς Ἄμμων*), Satis, eius uxor, cum Junone (*Ἥρα*), Anukis, eius socia, cum Vesta (*Ἑστία*) aequatur. In inscriptionibus autem Aegyptiis Chnûm nunquam Hammoni aequatur. In inscriptionibus regionis catarractarum a sexto decimo a. Ch. n. saeculo cum Rê‘ deo solis aequatur (Chnûm-Rê‘); quare haud raro eius caput orbe solis ornatum est. Ut deus eius regionis erat deus aquae, et cum fama antiqua esset Nili fontes in catarractis scaturire (cf. Herod. Hist. 2, 28), Chnûm Aegyptiis *ὑδραγωγός* erat.

Maximum templum dei Chnûm in insula Elephantine (*Χνουβεῖον*) postea dilapsum, fortasse a Cambyse, rege Persarum (529—522 a. Ch. n.), deletum est. Duo alia templa, quae Pharaones Thutmes III et Amenhotep III aedificaverant, etiam exeunte duodevi-

[1] *Pauly-Wissowa*, Real-Enzyklopädie der klassischen Altertumswissenschaft I, 2, 2645—2649. Stuttgart 1894.

cesimo p. Ch. n. saeculo exstabant, priore autem parte saeculi undevicesimi destructa sunt. Utrum unum ex iis templis *ἱερὸν Κνούφιδος*, cuius Strabo (Geogr. 17, 817) mentionem facit, an *Ἡραῖον* sit, quod in inscriptione quadam commemoratur,[1] disceptari non potest. Pharao Nectanebôs (Nechte-nebof, 361—343 a. Ch. n.) deo Chnûm novum templum magnum aedificare coepit, cuius ruinae nostra aetate detectae sunt. Regnante Alexandro II (316—306 a. Ch. n.), filio Alexandri Magni, Ptolemaeus satrapes, postea imperatores Augustus et Traianus id templum aedificare perrexerunt. Post victoriam autem religionis Christianae Coptae templum diruerunt. Paulatim urbs quoque delapsa, postremo deserta est. Nunc in insula Elephantine tantum duo vici parvi inveniuntur. In orientali parte insulae mensor Nili (*νειλομέτριον*), cuius Strabo (loco allato) mentionem facit, exstat, qui anno 1870 a Mahmud Bey restitutus est.[2]

Praeter regionem catarractarum Chnum nonnullis aliis quoque locis Aegypti colebatur. Velut in urbe *Her-wêr* (in media Aegypto prope vicum Beniḥasan sita), ubi unâ cum dea *Ḥkt* (*Ḥeḳ-t*), cui caput ranae erat, colebatur. Item in urbe *Hypseli* (Aeg. *Šas-ḥotep*, in eadem Aegypti parte sita), cuius in nomo (nomo Hypselitico) aries sacer habebatur. Is Chnûm urbis Hypselis Osiris intellegebatur. In templo urbis *Esneh*[3] praeter proprios deos urbis Neith (Athena) et Suchos (Sobk) etiam Chnûm, „dominus Sôchet" (i. e. campi), cum sociis suis *Mnhjit*, cui caput leonis, et *Nbwwt*, cui caput humanum erat, colebatur. Etiam ineunte undevicesimo p. Ch. n. saeculo prope *ed-Dêr*, qui locus 3 km ab Esneh septentriones et occidentem versus situs est, sacellum erat, ubi iidem dii atque in templo urbis Esneh colebantur. Ibi Aegyptii Chnûm deo aëris *Šw* (*Σῶς*), patri dei Geb et filio dei *Rê*ᶜ, *Mnhjit* deam capite leonis ornatam Tafnet deae eodem capite ornatae, sorori germanae dei Šw, aequabant. Quae cum ita sint, Chnûm quattuor locis, quae nominavimus, quattuor diversis diis aequatus est.

Gnostici nomen *Χνοῦβις* (*Χνοῦμις*, *Χνοῦφις*, *Κνοῦφις*) in aeonem quendam detulerunt, cui, cum imagine anguis (plerumque cum leonis capite) nimbo circumdati effingi soleat, cum Chnûm deo Aegyptio nulla est similitudo.

II

In ea regione, quam supra descripsimus, ab anno 1900 complures inscriptiones Aramaicae lapidibus incisae, papyri, testae (ostraca) effossae sunt, quas *M. Lidzbarski* diligenter tractavit.[4]

[1] *G. Dittenberger*, Orientis Graeci inscriptiones selectae. Supplementum sylloges inscriptionum Graecarum (I—II. Lipsiae 1903—05) nr. 168.

[2] Conferas *L. Borchardt*, Nilmesser und Nilstandsmarken. Berlin 1906.

[3] Esneh, a ruinis Thebarum 45 km meridiem versus sita, iam antiquis temporibus maximarum urbium Aegypti superioris fuit. Tum ei nomen *Te-snêt* erat, unde nomen Copticum *Sne* et Arabicum *Esneh* manavit. A Graecis a pisce „Latos", qui ibi colebatur, *Latopolis* nominabatur.

[4] Ephemeris für semitische Epigraphik II, 2, 210—250.

Anno 1904 in insula Elephantine d e c e m p a p y r i Aramaicae inventae sunt.[1] Sunt litterarum documenta quattuor personarum unius familiae Judaicae in urbe Syene atque in insula Elephantine habitantis (Machsejah, filii Jedonjah; Mibtachjah, filiae Machsejah; Jedonjah et Machsejah, filiorum Mibtachjah), quae tabulas locationis, pactiones nuptiales, res hereditarias, similia continent, inter annos a. Ch. n. 471 et 411 scripta. In editione ab A. *H. Sayce* et *A. E. Cowley* facta[2] litteris A—K significantur. Quae papyri a Mr. Roberto Mond (5½ papyri: C, D, F, H, J, ½ G), a Lady William Cecil (3½ papyri: B, E, K, ½ G), a bibliotheca Bodleiana Oxonii (1 papyrus: A) emptae sunt. Novem ex iis hodie in museo urbis Kairo, una Oxonii in bibliotheca Bodleiana servantur.

Pap.	A	Bodl. Libr.	MS. Aram. b, 1
„	B	Mus. Cair.	37, 107
„	C	„	37, 106
„	D	„	37, 114
„	E	„	37, 108
„	F	„	37, 112
„	G	„	37, 110
„	H	„	37, 111
„	J	„	37, 113
„	K	„	37, 109

Dialecto quadam Aramaica confectae sunt, quae linguae Aramaicae librorum divinorum (Dn 2, 4—7, 28. Esr 4, 8—6, 18; 7, 12—26. Jer 10, 11) simillima est. Scriptura earum est Aramaica i. e. ea, unde scriptura quadrata manavit. Litterae finales a ceteris litterarum formis non differunt, nisi quod Nûn finale interdum aliâ

[1] Primo plerumque dictum est, illas decem papyros prope urbem Assuân, cum via muniretur, effossas esse. *O. Rubensohn* autem (Zeitschrift für ägyptische Sprache und Altertumskunde XLVI, 1910, 28) demonstravit eas papyros in insula Elephantine (in ruinis unius ex iis duabus domibus, ubi illae tres papyri Aramaicae maioris momenti, quas *E. Sachau* annis 1907 et 1911 Berolini edidit, effossae sunt) inventas esse.

[2] Aramaic papyri discovered at Assuan (Fol. 79 p.) London 1906. Atque *A. H. Sayce* primo docet, quo modo papyri inventae atque comparatae sint et quas res contineant (p. 9—14). Deinde *A. E. Cowley* de lingua textuum agit (p. 14—23). *W. Spiegelberg* in appendice I nomina propria Aegyptia, quae in papyris inveniuntur, enumerat (p. 24). *Seymour de Ricci* in appendice II litterarum documenta Aegyptia adhuc inventa brevi in conspectu ponit (p. 25—34). Sequuntur conversiones et adnotationes (p. 35—50), index nominum propriorum (p. 51s.), vocabularium (p. 53—61), textus scripturâ quadratâ (p. 62—79). Additae sunt viginti septem phototypiae papyrorum. — Conferas etiam *W. Staerk*, Die jüdisch-aramäischen Papyri von Assuan (Kleine Texte für theologische Vorlesungen und Übungen von H. Lietzmann, nr. 22. 23) Bonn 1907. *A. Cowley*, Aramaic papyri of the fifth century B. C. Edited with translation and notes. Oxford 1923.

quadam est formâ. Litterae ר et ד discerni vix possunt; litterae quoque כ et פ nonnunquam inter se simillimae sunt. Singula vocabula plerumque inter se disiuncta, interdum autem coniuncta sunt. In pronominibus demonstrativis non, ut in lingua Aramaica biblica, littera ד, sed ז usitata est, velut זְנָךְ pro דְּנָה = hic, ille. Pro scriptione plena plerumque scriptio defectiva invenitur, velut ן־ pro ין־ . Genetivus particulâ דִּי (in lingua Aramaica biblica דִּי) vel statu constructo significatur. Nota accusativi תָ (= Hebr. אֵת, אֶת, אֶת־), quae in lingua Aramaica biblica invenitur, in papyris non exstat; item nota obiecti לְ rara est. Numeri lineis exprimuntur: linea verticalis „unum", linea horizontalis „decem" significat. Velut numerus „duodeviginti" signis II III III — exprimitur. Semel unâ cum ea scriptione littera numeralis ח = 8 invenitur: II III III ח (G 16). Nonnullae papyri magnae sunt; ut papyrus D triginta sex, papyrus G undequadraginta linearum est. In eandem editionem ea quoque papyrus, quae bibliothecâ Bodleianâ iam antea comparata erat (L), et quinque testarum inscriptiones (M—Q) receptae sunt;[1] praeterea fragmentum papyri cuiusdam, quod *G. Maspero* anno 1902 invenit atque edidit;[2] denique papyrus Argentoratensis a *J. Euting* anno 1903 Parisiis emissa,[3] quae et ipsa e loco munito Elephantine profecta est.

In decem prioribus papyris dies et annus scriptionis significati sunt. Praeter diem mensis Aramaici (Babylonii) dies quoque mensis Aegyptii ei respondens nominatur.

Papyrus *A* die 18. Elûl (28. Pachon) quinti decimi anni regis Xerxis I = 471 data; 41×27 cm cum 20 lineis.

Papyrus *B* die 18. Kislev (7. Thoth) vicesimi primi anni regis Xerxis i. c. primi anni Artaxerxis I Longimani = 465 data; 44.8×26 cm cum 22 lineis.

Papyrus *C* die 21. Kislev (1. Mesori) anni sexti Artaxerxis I Longimani = 459 data; circiter 19×26 cm; partes adversa et aversa cum undenis lineis.[4]

Papyrus *D* die 21. Kislev (1. Mesori) anni sexti Artaxerxis I Longimani = 459 data; circiter 62×22.5 cm cum 36 lineis.

Papyrus *E* die 3. Kislev (10. Mesori) undevicesimi anni Artaxerxis I Longimani = 446 data; circiter 37.5×28 cm cum 20 lineis.

[1] Conferas *A. E. Cowley* in Proceedings of the society of Biblical archaeology XXV, 1903, 202—208. 264—266. 311—314.

[2] Répertoire d' épigraphie sémitique nr. 246.

[3] Mémoires présentées par divers savants à l' académie des inscriptions et belles-lettres. Ire série, tome XI, 2e partie. Paris 1903. Conferas etiam Répertoire d' épigraphie sémitique nr. 361.

[4] In papyro *C* dies adscriptus legi non potest. Editores autem papyrorum recte arbitrari videntur eum diem eundem esse atque diem in papyro *D* adscriptum.

Papyrus *F* die 14. Ab (19. Pachon) vicesimi quinti anni Artaxerxis I Longimani = 440 data; 25×24.5 cm cum 13 lineis.

Papyrus *G* die 26. Tischri (6. Epiphi?) vicesimi quinti (?) anni Artaxerxis I Longimani = 440 data; 71.5×27 cm cum 39 lineis.

Papyrus *H* mense Elûl (Payni) quarti anni Darii II Nothi = 420 data; 33×28 cm cum 20 lineis.

Papyrus *J* die 3. Kislev (12. Thoth) octavi anni Darii II Nothi = 417 data; 32.3×27 cm cum 21 lineis.

Papyrus *K* die 24. Schebat tertii decimi anni (9. Hathyr quarti decimi anni) Darii II Nothi = 411 data; 31.5×27 cm cum 17 lineis.

Papyrus *L*, quam A. H. Sayce bibliothecae Bodleianae donavit, syngraphum continet. Nomina, quae in ea inveniuntur, originis Hebraicae sunt. Cum initium papyri mutilatum sit, quo tempore conscripta sit, accurate reperiri non potest. A. E. Cowley eam inter annos 460 et 455 conscriptam esse opinatur.

Papyrus *Argentoratensis* (Euting) quarto decimo anno Darii II Nothi i. e. 410 data, 63×7.3 cm, in parte adversa cum 2×5 lineis, in parte aversa cum 14 lineis brevibus.

Annis 1906—1908 in parte occidentali urbis Elephantine a Germanis effossiones factae sunt. Mense Februario anni 1906 duce *O. Rubensohn* multae (32) Graecae litterae privatae, quae integrae manserant, inventae sunt. A mense Decembri anni 1906 usque ad mensem Februarium anni 1907 O. Rubensohn multas papyros Aramaicas, partim integras, partim mutilatas, praeterea multas testas litteris Aramaicis et Phoeniciis inscriptas repperit. A mense Octobri anni 1907 usque ad mensem Januarium anni 1908 effossionibus a *F. Zucker* et *W. Hornorth* factis haud pauca de ruinis domorum et templi dei Chnûm cognita sunt, sed novae papyri inventae non sunt. Res effossae partim in museo Berolinensi, partim in museo urbis Kairo asservantur. Eodem tempore quo Germani etiam Francogalli duce *C. Clermont-Ganneau* in ea parte urbis Elephantine, quae ad meridiem spectat, effossiones fecerunt ibique templum et sepulcra arietum dei Chnûm sacrorum detexerunt, sed papyros non invenerunt.

Germanorum in insula Elephantine effossiones in Zeitschrift für ägyptische Sprache und Altertumskunde XLVI, 1910 descriptae sunt: *W. Hornorth, O. Rubensohn, F. Zucker*, Bericht über die Ausgrabngen auf Elephantine in den Jahren 1906—1908. Papyri in ruinis trium domorum inventae sunt (p. 29), ostraca in fundo certae cuiusdam partis urbis (p. 34), fragmenta vasorum in duabus domibus eiusdem partis urbis (p. 25—27).

Textum papyrorum ediderunt *O. Rubensohn*, Ägyptische Urkunden aus den königlichen Museen in Berlin: Griechische Urkunden. Berlin 1907. *E. Sachau*, Drei aramäische Papyrusurkunden des königlichen Museums in Berlin (Cum duabus tabulis) Berlin 1907. Nova editio ib. 1908. Aramäische Papyrus und Ostraka aus Elefantine. Altorientalische Sprachdenkmäler aus einer jüdischen Militär-

kolonie des 5. Jahrhunderts v. Chr. (Cum septuaginta quinque tabulis) Berlin 1911 (= PS). *A. Ungnad*, Aramäische Papyrus aus Elephantine. Kleine Ausgabe unter Zugrundelegung von E. Sachau's Erstausgabe bearbeitet (Hilfsbücher zur Kunde des alten Orients 4) Leipzig 1911. *W. Staerk*, Aramäische Urkunden zur Geschichte des Judentums im 6. und 5. Jahrhundert v. Chr. Bonn 1908. Alte und neue aramäische Papyri übersetzt und erklärt. ib. 1912 (Kleine Texte für theologische Vorlesungen und Übungen von *H. Lietzmann*, n. 32 et 94). Papyrum quandam Aramaicam aetate Ptolemaeorum conscriptam *A. H. Sayce* et *A. E. Cowley* in Proceedings of the society of Biblical archaeology XXIX, 1907, 260—272 ediderunt. De ostracis a *C. Clermont-Ganneau* effossis videas Comptes rendus de l' académie des inscriptions et belles-lettres (19. Aprilis 1907). Conferas etiam *M. J. Lagrange* in Revue biblique N. S. V, 1908, 260—267.

Maximi momenti sunt tres illae papyri Aramaicae ab *O. Rubensohn* inventae, quas *E. Sachau* anno 1907 Berolini et *W. Staerk* anno 1908 Bonnae ediderunt. Sunt non archetypa, sed exempla archetyporum[1] atque in museo Berolinensi asservantur.

Ac prima papyro, cui dies vicesimus mensis Marcheschvan anni septimi decimi Darii adscriptus est,[2] sacerdotes Judaeorum in insula Elephantine commorantium a Bagohi, regis Persarum in Judaea praefecto, orant, ut templum tribus annis ante deletum restituere sibi liceat.

Eius verba sunt haec: 1) (Des) domino nostro Bagohi, praefecto Judaeae. Jedonjah eiusque socii in loco munito Jêb. Salutem (tibi) plurimam 2) dominus noster, deus caeli, semper dicat teque in gratia ponat apud regem Darium 3) et filios domus (regiae) millies tanto magis quam nunc tibique longam vitam det! Atque semper es laetus et sanus! 4) Iam Jedonjah servus tuus eiusque socii haec dicunt: Mense Tammûz quarti decimi anni regis Darii, cum Arscham 5) abisset atque ad regem profectus esset, sacerdotes dei Chnûb in loco munito Jêb coniurationem fecerunt cum Waidrang, qui hîc praefectus 6) fuerat, cum dixerunt: „Templum dei Jâhû in loco munito Jêb inde amoveatur!" Deinde 7) detestabilis ille Waidrang ad Nephajan filium suum, qui in loco munito Syene dux militum erat, epistulam huius exempli misit: „Templum dei Jâhû, quod 8) in loco munito Jêb est, deleatur!" Deinde Nephajan Aegyptios unâ cum aliis militibus adduxit. Venerunt cum instrumentis (i. e. cum armis et eversionis operibus) in locum munitum Jêb, 9) in illud templum invaserunt idque funditus diruerunt. Et columnas lapideas, quae ibi erant, confregerunt. Accessit, 10) quod quinque magnas portas lapideas, e saxis caesis exaedificatas, quae in illo templo erant, diruerunt earumque valvas emoverunt; cardines 11) autem illarum valvarum aenei erant. Et tectum totum cedrinum cum reliqua supellectile aliaque, quae ibi erant, 12) cuncta igni cremaverunt. Et pateras aureas argenteasque et quidquid in illo templo erat, cuncta rapuerunt 13) suaque fecerunt. At iam diebus regum Aegypti patres nostri id templum in loco munito Jêb aedificaverunt. Et

[1] Conferas פרשגן *apographum*, *exemplum* epistulae (Esr 4, 11. 23; 5, 6; 7, 11).

[2] Nota numeri 20 in prima papyro iam non scripta legitur, sed in secunda permansit.

Cambyses, cum in Aegyptum invasisset, 14) illud templum iam invenit. Et templa deorum Aegypti omnia eversa sunt, sed illius templi nemo quidquam corrupit. 15) Et postquam ita egerunt, nos cum coniugibus liberisque vestes lugubres gestabamus et ieiunium servabamus et ad Jâhû, dominum caeli, precabamur, 16) qui fecit, ut voluptatem ex aspectu illius Waidrang perciperemus (?). Nam canes vincula ab eius pedibus avellerunt (sc. cum corpus eius ederent), quas opes pepererat, eae omnes perierunt omnesque viri, 17) qui illud templum corrumpere conati erant, omnes interfecti sunt et nos oculos in iis pavimus. Iam antea, tum cum hoc malo affecti eramus, 18) epistulam de ea re ad dominum nostrum (Bagohi) et ad summum sacerdotem Jehochanan eiusque socios, sacerdotes Hierosolymis, et ad eius fratrem Ostan 19) i. e. Anani principesque Judaeorum misimus. Responsum autem non accepimus. Etiam ex die Tammûz quarti decimi anni regis Darii 20) et usque ad hunc diem vestes lugubres gestamus et ieiunium servamus; uxores nostrae factae sunt ut viduae, oleo iam non unximus 21) neque vinum bibimus. Neque ab illo die usque ad (hunc) diem septimi decimi anni regis Darii cibaria, tus et holocausta 22) in illo templo sacrificaverunt. Nunc vero servi tui, Jedonjah eiusque socii et Judaei, omnes cives (loci muniti) Jêb hoc modo loquuntur: 23) „Si domino nostro placebit, illi templo prospiciat, ut id restitueret, cum nobis id restituere non liceat. En, 24) ad eos, qui beneficia et favores tuos acceperunt, qui hîc in Aegypto sunt, epistula a te mittatur de templo dei Jâhû, 25) ut in loco munito Jêb restituatur eo ipso modo, quo antea aedificatum erat. Et cibaria, tus et holocausta 26) in ara dei Jâhû tuo nomine offerentur et nos semper pro te precabimur, nos, nostrae uxores ac nostri liberi et 27) omnes Judaei, qui hîc sunt. Ita si acciderit, dum illud templum restitutum erit, tu iustior eris (ad verbum: tibi iustitia erit) coram Jâhû, deo 28) caeli, ut vir, qui ei holocausta et victimas offert pretio argenti mille talentûm. Et de auro, de eo 29) nuntium misimus. Omnia ea verba epistulâ nostro nomine ad Delajah quoque et Schelemjah, filios Sanaballat, praefecti Samariae, misimus. 30) Neque Arscham quidquid nobis illatum est, scivit. — Vicesimo (die mensis) Marcheschvan septimi decimi anni regis Darii.

Quae papyrus mire similis est papyro Argentoratensi a J. Euting editae.[1] Utraque eodem fere tempore a Judaeis in insula Elephantine commorantibus conscripta est atque ad res anno quarto decimo Darii regis gestas pertinet. Papyrum Argentoratensem a Judaeo quodam conscriptam esse inde perspicimus, quod deo Chnûm cognomen אלהא non datur; in papyro Sachau id cognomen postea demum inter lineas insertum est. In utraque papyro sacerdotes eius dei contemptim כמריא, sacerdotes autem Judaici כהניא appellantur. Utriusque papyri scriptores de coniuratione a sacerdotibus dei Chnûm unâ cum praefecto Waidrang facta conqueruntur. Loco quodam papyri Argentoratensis scriptum legimus: „Coniurationem unâ cum praefecto Waidrang fecerunt", alio loco: „Dederunt ei pecuniam et opes." Priora illa verba in prima quoque papyro Sa-

[1] Conferas *J. Euting*, Notice sur un papyrus égypto-araméen de la bibliothèque impériale de Strasbourg. Paris 1903.

chau lin. 5, posteriora in secunda papyro Sachau lin. 4 inveniuntur. In utraque papyro Arscham profectus esse et apud regem conversari dicitur; in utraque de Aegyptiorum adversus Persas seditionibus agitur. His aliisque rebus eiusdem generis efficitur utramque papyrum eiusdem temporis esse. Atqui papyrum Sachau regnante Dario II Notho conscriptum esse infra demonstrabimus. Ergo idem cadit in papyrum Argentoratensem.

Papyrus Sachau papyris quoque ab A. H. Sayce et A. E. Cowley anno 1906 editis similis est, imprimis papyris H et J. Eae annis quarto et octavo regni Darii II Nothi a Judaeis in insula Elephantine aut in urbe Syene commorantibus scriptae sunt et in utraque Waidrang commemoratur (H 4 פרתרך *tribunus* vocatur, ut in papyris Sachau et Argentoratensi; J 2 et H 5 רב חילא *dux exercitus* Syenensis, qui titulus in papyro Sachau lin. 7 Nephajan, filio Waidrang, tribuitur). J 6 templi quoque dei Jâhû (אגורא די יהו אלהא) in insula Elephantine exstructi mentio fit.

Quae cum ita sint, existimandum est papyros a J. Euting, A. H. Sayce-A. E. Cowley, E. Sachau editas ex uno eodemque tabulario Judaeorum in insula Elephantine habitantium profectas esse. Quod historiâ inventionis earum confirmatur. Nam nunc novimus papyros quoque Sayce-Cowley, ut papyros Sachau, in insula Elephantine, non in urbe Assuân effossas esse.

Secunda papyrus eundem textum quem prima continet, nisi quod duo textus aliquot locis variant. Cum autem papyrus prima integra sit, papyrus secunda mutilata est; nam et initium papyri et exitus omnium linearum sinistrae partis desunt.

In tertia papyro, qui litteras reddit, mandatum Bagohi et Delajah adnotat, ex quo Arscham praefecto nuntiandum est illos consentire ad templum restituendum et sacrificia incruenta ibi offerenda.

Eius verba sunt haec: 1) Acta de iis, quae Bagohi et Delajah 2) mihi dixerunt. Acta: In Aegypto dicito 3) coram Arscham de domu altaris dei 4) caeli, quae in loco munito Jêb antea, 5) ante Cambysen aedificata erat, 6) quam exsecratus ille Waidrang destruxit 7) anno quarto decimo regis Darii. 8) Ea (domus altaris) suo loco restituatur, ut antea erat, 9) et cibaria et tus offerantur in 10) illo altari, ut antea 11) fieri solebant.

Manifestum est Bagohi et Delajah Persarum magistratus caute loqui. Vitant nomen Jahvae, quem „deum caeli" appellant. Neque de templo, ut Judaei, sed de „domu altaris" loquuntur. Cum

autem eam iam antequam Cambyses Aegyptum expugnaverit, fuisse agnoscunt, iidem eam contra ius deletam et restituendam esse agnoscunt; nam Persarum reges hanc rationem regnandi tenebant, ut statum rerum, qui erat, servarent neque decreta semel facta tollerent. Quam ob causam Darius I Hystaspis quoque permisit, ut templum Hierosolymitanum aedificaretur, quia Ecbatanis decretum invenit, quo Cyrus anno 538 id permiserat (Esr 6, 1—13).

Nihil est, quod dubites, quin illae papyri *verae* sint. Nam incolumes fere sunt, earum tegumenta integra neque lina tegumentorum violata neque sigilla lutea fracta erant. *M. L. Belléli* quidem (An independent examination of the Assuan and Elephantinê Aramaic papyri. With 11 plates and 2 appendices on sundry items. London 1909) eas papyros subditas esse existimat. Item *D. S. Margoliouth* (Note on the Elephantinê papyri. The Expositor 8. S. III, 351—354) varia contra incorruptam integritatem papyrorum dicit. *G. Jahn* quoque (Die Elephantiner Papyri und die Bücher Esra-Nehemia 12—38. Leiden 1913) papyros subditas esse putat; eas non ante aetatem Graecorum confectas esse, id quod non solum ex earum argumento et loquendi usu, sed etiam ex litterarum formis appareat. Contra *J. B. Chabot* (Journal asiatique 1909, 515—522) eas incorrupta integritate esse diligentissime demonstravit. Etiam *S. A. Cook* (The Elephantinê papyri and the Old Testament. The Expositor 8. S. III, 193—207) exponit, quae difficultates obstent, ne papyri Elephantines adulterinae existimentur, etsi earum incorrupta integritas plane ac lucide demonstrari non possit.

Litterarum Judaicarum ad religionem pertinentium in insula Elephantine nihil permansit. Neque vero dubium est, quin Judaei ibi commorantes textus ad cultum divinum pertinentes, hymnos, psalmos, similia habuerint. Fortasse libros quoque de historia sacra et dicta prophetarum e patria secum tulerunt aut postea sibi comparaverunt. Quae scripta omnia, cum haud dubie in templo servarentur, unâ cum eo perierunt.

III

Colonos, qui in papyris commemorantur, originis Judaicae fuisse e nominibus eius familiae, cuius e tabulario papyri A—K profectae sunt, elucet: *Mibtachjah*, cuius prior maritus *Jezanjah* (bis contractum *Jezan*) *bar Urijjah* est. Eius posterior maritus Aschor bar Sacha postea nomen *Nathan* gestat (J 3. 8—9; K 2) et eius filii huius matrimonii nominibus *Jedonjah* et *Machsejah* Judaei significantur (H 3). Ad hoc in papyris multa nomina invenimus, quae Judaica esse e vetere testamento cognovimus, velut Ananjah, Azarjah, Barachjah, Chaggaj, Hoschea, Hoschajah, Je-

schajah, Sadoq, Schemajah, Sephonjah, alia. Neque dubium est, quin etiam ii, qui nominibus, quae in vetere testamento non exstant (velut Gadol, Jigdal, Jislach), appellantur, originis Judaicae sint. Eorum colonorum deus est יהו *jhw* et per „jhw deum Judaeorum" iurant (B. 4. 11). Saepius simpliciter יהודין (sgl. יהודי) *Judaei* nominantur (B. 3. 9. 10; C 2; D 2; H 2. 3. PS 1, 27; 2, 26), etsi nomen quoque ארמין (sgl. ארמי) *Aramaeorum* de iis usurpatur (A 2; E 2. 3; G 2; I 2; K 2. cf. etiam formam emphaticam ארמיא F 3 et formam adiectivam ארמית K 4. 6). Saepius unus idemque homo modo Judaeus modo Aramaeus nominatur: Machsejah, filius Jedonjah, יהודי B 3; C 2; D 2. ארמי A 2; E 2; G 2., Konjah, filius Zadok, יהודי B 8. 9. ארמי A 2.[1] Habent collegium sacerdotum, cui *Jedonjah* praeest, cuius nomen contractum יָדִן *Jadon* sonat (Neh 3, 7).

De origine eorum Judaeorum varia prolata sunt Atque dictum est[2] eos esse posteros incolarum regni decem tribuum in exsilium abductorum, qui regnante Cambyse (529—522 a. Ch. n.) cum Persarum agmine ex Assyria et Media in Aegyptum venerint ibique agros acceperint. Quod ut comprobetur, nomina הוֹשֵׁעַ *Hoschea* (sex variorum hominum) et מְנַחֵם *Menachem* (quinque variorum hominum), quae in papyris Aramaicis inveniuntur, afferuntur. Ea enim nomina originis Ephraimiticae esse. At ex iis nominibus res tam gravis colligenda non est neque demonstrari potest ea nomina originis Ephraimiticae esse. In sacris litteris quinque homines nomine Hoschea commemorantur, e quibus Hoschea-Josua, filius Nun (Nm 13, 8. 16. Dt 32, 44), et Hoschea, filius Asasjahu (I Chr 27, 20), tribu Ephraim oriundi sunt. Quamquam Hoschea quoque prophetam, filium Beeri, regno Ephraim oriundum esse non constat idemque in Hoschea, filium Ela, ultimum regem regni Ephraim (II Rg 17, 1), cadit. Sed Hoschea, cuius Neh 10, 23 mentio fit, regno Juda oriundus est. Et ex duobus viris, qui nomen non contractum הוֹשַׁעְיָה *Hoschajah* gestant, unus, aequalis Nehemiae (Neh 12, 32), „princeps Juda", alter, aequalis Jeremiae, praefectus militum Judaicorum est (Jer 42, 1; 43, 2) idemque homo Judaeus esse videtur. Neque quod in vetere testamento unus homo nomine

[1] Nomen *Aramaei* latius patet quam *Judaei*, ut hoc posterius pro illo priore quoque poni possit.

[2] *W. Bacher*, The origin of the Jewish colony of Syene-Assuan (Jewish quarterly review XIX, 1907, 441—444).

Menachem commemoratur, rex regni Ephraim, qui Schallum successit (II Rg. 15, 14), idcirco id nomen originis Ephraimiticae est idque eo minus, quod utrumque nomen, Hoschea et Menachem, inter Aramaica quoque nomina inveniuntur,[1] Menachem praeterea inter nomina Phoenicia.[2] Neque magis nomina מְשֻׁלָּם *Meschullam* et שַׁלֻּם *Schallum*, quae nonnulli afferunt, originis Ephraimiticae sunt, nam utrumque etiam homines Judaei gestant (velut Meschullam, cuius II Rg. 22, 3. Esr 10, 29., et Schallum, cuius Jer 32, 7. Esr 10, 42 mentio fit). Quae cum ita sint, Judaeos in Elephantine-Syene commorantes e regno decem tribuum profectos esse non constat.[3]

Nonnulli[4] coloniam Semitarum in Elephantine-Syene habitantium ex Judaeis et Samaritanis constitisse existimant, cum dicant colonos ex Syria septentrionali in regiones regni decem tribuum ab Assyriis translatos deum nomine יהו iam in patria sua coluisse. II Sm 8, 10 commemorari filium regis terrae Hamath nomen יוֹרָם habuisse. Qui cum I Chr 18, 10 הֲדוֹרָם appelletur, formam nominis in libro Sm mendum librarii habendum esse. Eius modi mendum explicari non posse, si librarius nesciverit nomina cum יהו vel יו composita in terra Hamath usitata fuisse. Quem usum nominibus quoque Ja'ubi'di et Azrija'u confirmari.[5] Quare colonos ex Syria septentrionali nomen dei יהו iam ex patria in regiones regni decem tribuum attulisse putandos esse. Inde illud quoque explicari in textibus Elephantines semper יהו vel יהה, nunquam יהוה scriptum esse. Si autem coloni ex Syria septentrionali illud dei nomen in Samaria demum cognovissent, non dubium esse, quin id יהוה scripturi fuerint, id quod in toto vetere testamento et in inscriptione lapidis regis Meša (lin. 18) factum est. Quae cum ita sint, יהו illis colonis deum patrium fuisse, quem quidem post immigrationem in Samariam cum deo Israelitarum יהוה aequaverint,

---

[1] *M. Lidzbarski*, Handbuch der nordsemitischen Epigraphik 259. 313. Weimar 1898.

[2] *G. A. Cooke*, A text-book of north-semitic inscriptions 71—89. Oxford 1903.

[3]) *N. Peters*, Die jüdische Gemeinde von Elephantine-Syene und ihr Tempel im 5. Jahrhundert vor Christi Geburt 12s. Freiburg i. Br. 1910.

[4] Velut *H. Grimme*, Die jüdische Kolonie von Elephantine in neuer Beleuchtung (Theologie und Glaube III, 1912, 793—800). Die Jahotriade von Elephantine (Orientalistische Literaturzeitung XV, 1912, 11—17). *C. van Gelderen*, Samaritaner und Juden in Elephantine-Syene (ib. 337—344). *F. Nau*, Juifs et Samaritains à Éléphantine (Journal asiatique 10. S. XVIII, 660—662).

[5] *E. Schrader*, Die Keilinschriften und das Alte Testament[3] 465s. Berlin 1903.

ita tamen, ut traditam scripturam יהו et pronuntiationem Jâhô servarent. Duo quoque numina divina cum יהו coniuncta, אשמבית‌אל et ענת‌בית‌אל, quae Semitae in Elephantine-Syene habitantes venerabantur, Syriâ origine esse. Deum אשמבית‌אל neminem alium esse nisi deum Syrium *Συμβέτυλον*, cuius in inscriptione quadam Graeca in Kefr-Nabu (prope urbem Aleppo-Ḥaleb sito) inventa mentio fit: *Σειμίῳ καὶ Συμβετύλῳ καὶ Λέοντι Θεοῖς πατρῴοις*.[1] Atque ענת‌בית‌אל (ענת = גנה = daemon generis feminini) deum Bethel formâ muliebri esse. Quodsi igitur in colonia Semitarum in Elephantine-Syene commorantium Samaritanos fuisse putandum est, quaeri, quo modo ii Samaritani in Aegyptum venerint. Ad quod haec respondenda esse: Post interitum regni decem tribuum gentes exteras in Samariam traductas esse idque non tantum semel, sed minimum ter. Narrationem II Rg 17, 24—33 tantum ad colonos a rege Sargon eo traductos pertinere. Esr 4, 2. 10 autem tradi aetate Persarum incolas quosdam Samariae se a regibus Esarhaddon et Asnappar (= Assurbanipal) eo adductos esse dixisse. Atque colonos regnante Esarhaddon in Samariam traductos dicere se inde ab immigratione semper eidem deo sacra fecisse, qui Hierosolymis colatur. Unde apparere eos iam id tempus non recordatos esse, quo coloni, qui primi in Samariam immigraverunt, „Jahven non timebant" (II Rg 17, 25). Sequi, ut, cum in Samariam traducerentur, Jâhô-Jahve iam princeps deus Samaritanorum factus sit. Porro ex inscriptione quadam regis Assurbanipal effici in Aegypto et fortasse in Nubia quoque, postquam eae terrae a rege Esarhaddon armis subactae sint, Assyriorum praesidia (*maṣṣarâti*) fuisse, quae Assurbanipal auxerit.[2] Praeterea Assurbanipal saepius de copiis Assyriis (*ummanâti*) in urbe Memphis et aliis Aegypti partibus collocatis dicere.[3] Coniciendum autem esse, quod novae gentes ab Esarhaddon et Assurbanipal in Samariam traductae sint, cum eorum expeditionibus adversus Aegyptios susceptis cohaerere. Cum vero exercitus, quibuscum in Aegyptum profecti sunt, ex parte in Syria et Palaestina conscripti sint,[4] poni posse in iis colonos quoque in Samariam traductos fuisse. Qui quin religionem suam syncretisticam in praesidiis quoque Aegypti exercuerint dubium non esse.

[1] *M. Lidzbarski*, Ephemeris für semitische Epigraphik II, 3, 323s. Gießen 1908.
[2] Keilinschriftliche Bibliothek II. p. 162. lin. 114s.
[3] Ib. II. p. 160. lin. 89; p. 164. lin. 127s; p. 166. lin. 24s.
[4] Ib. II. p. 238. lin. 25—29.

Etsi autem in colonia Semitarum in Elephantine-Syene habitantium Samaritani fuerint, tamen eam coloniam Samaritanam appellandam non esse. Nam illos colonos plane se „exercitum Judaicum" nominare (PS 6, 2. 11). Quod ita explicari, ut Samaritani illi quidem antiquior, Judaei autem maior pars illius coloniae fuerint.

Alii[1] arbitrantur eos colonos, cum numina divina venerarentur, quorum nomina cum בֵּיתְאֵל composita erant, e Bethel in Aegyptum venisse. Atque existimant Hos 9, 3 Ephraimitarum in Aegypto coloniam commemorari, cum verba: „Revertetur Ephraim in Aegyptum" de fuga multorum Ephraimitarum in Aegyptum ad evitandam captivitatem Assyriacam interpretentur. At ex iis res tam gravis momenti colligi non posse manifestum est. Neque magis demonstrari potest illam coloniam Judaeorum aut ex Samaria[2] aut „a rege Jojakim eiusque comitibus" oriundam esse[3] aut cum rege Joahaz a Pharaone Necho II in Aegyptum abducto (II Rg 23, 34. II Chr 36, 4) cohaerere.[4] Complures viri docti[5] existimant illos Judaeos esse posteros Judaeorum, qui Hierosolymis anno 586 deletis in Aegyptum fugerunt, quia metuebant, ne Babylonii necem Gedaljah praefecti ulciscerentur (II Rg 25, 25s. Jer 41, 2s; 42, 1—43, 7). Quare mirum non esse, quod ibi quinto a. Ch. n. saeculo familiae Judaicae offendantur.[6] Contra id dictum est: Cum anno 621 rex Josia cultum reformasset, qua re praecipue id egisset, ut unum templum Jahvae idque Hierosolymis esset, Judaeos templo Hierosolymitano anno 586 diruto illud praeceptum statim neglexisse atque extra Hierosolyma sacrarium Jahvae aedificasse existimari non posse. Ceterum illi Judaei in Delta quaerendi esse videntur, cum eos in Aegyptum inferiorem quam ad finem Aegypti meridianum

[1] Velut *J. Offord*, The Elephantine papyri as illustrative of the Old Testament (Palestine Exploration Fund, Quarterly Statement 1915, 72—80. 144—151).

[2] *N. Herz*, The new Aramaic papyri (The Expository Times XIX, 1907/08, 522).

[3] *S. V. Troickij*, Evrejskij ḫram v Egiptê (Ḫristianskoe Čtenie LXXXVIII, 1908, 142—163).

[4] *F. Buhl* in Sitzungsberichte der Dänischen Akademie 1908, II, 51s. Conferas *A. Alt*, Israel und Ägypten 89, Leipzig 1909.

[5] Velut *A. H. Sayce-A. E. Cowley*, Aramaic papyri discovered at Assuan 10. 14. *F. Stähelin*, Elephantine und Leontopolis (Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft XXVIII, 1908, 181).

[6] Jeremia 44, 1. 15; 46, 14 urbes Migdol, Tachpanhes, Noph atque „terram Patros" domicilia Judaeorum fuisse dicit. Migdol (hodie *Tell es-Samût*) et Tachpanhes (hodie *Tell ed-Defenne*) in Aegypto superiore prope Pelusium (hodie castellum *Tineh*) sitae sunt. Noph sive Moph est Memphis (Aeg. *Ḥa(t)-ka-ptaḥ*, in ep. Amarna *Ḥikubta*) in Delta meridiana sita. Patros (Aeg. *P-to-rês(j)* = terra meridiana) est Aegyptus superior.

profectos esse verisimilius est. Denique alii putant adhuc nihil certi de coloniae illius Judaicae origine dici posse atque unum hoc constare eam fuisse colon am militum Judaicorum.

Atque Judaei in Elephantine-Syene commorantes quin colonia militum fuerint, dubitandum non est. Nam cum Aegyptii bellicosi non essent, eorum milites magnam partem mercennarii erant, qui pro se suisque familiis praedia accipiebant, quae aut ipsi colebant aut locabant.[1] Neque aliter reges Ptolemaei agebant.[2] Atque existimes aetate Persarum rem eodem modo se habuisse. Tum in Elephantine-Syene praesidium fuisse iam propter situm eorum locorum necesse erat. Praeterea Herodotus (Hist. 2, 30) memoriae prodit Pharaonem Psammetich I (663—609 a. Ch. n.) fines regni firmis praesidiis et a septentrionibus et a meridie tutatum esse; inter loca autem praesidiis firmata Elephantinen quoque fuisse: *Ἐπὶ Ψαμμετίχου βασιλέος φυλακαὶ κατέστασαν ἔν τε Ἐλεφαντίνῃ πόλι πρὸς Αἰθιόπων καὶ ἐν Δάφνῃσι τῇσι Πελουσίῃσι, ἄλλη δὲ πρὸς Ἀραβίων καὶ Σύρων, καὶ ἐν Μαρέῃ πρὸς Λιβύης ἄλλη.* Anno 411/410 Nephajan, filius Waidrang, praesidio (חילא) loci muniti Jêb praeerat (PS 1, 7),[3] non praeerat Waidrang ipse, qui ut provinciae praefectus (פחתרך) a duce praesidii (רב חילא) dilucide discernitur. In papyro quoque Argentoratensi, quae anno 410 in loco munito Jêb scripta est, praesidium eius loci commemoratur. In inscriptione quadam sex linearum lapidi arenaceo (26 cm alto et 45 cm lato) incisa, quae anno 458 (anno septimo Artaxerxis I Longimani) orta atque in urbe Syene inventa est, ducis militum eius urbis (רב חילא די זי סין = *praefecti exercitus Syenensis*) mentio fit (lin. 2).[4] Atque illos Judaeos milites mercennarios in exercitu Persarum fuisse etiam ex PS 6, 2. 11 cognoscimus, ubi חילא יהודיא *exercitus Judaicus* nominantur (cf. PS 10, 1 et B 2; C 10).

[1] De exteris gentibus, quae in exercitu Aegyptio stipendia meritae sunt, videas Herod. Hist. 2, 152. 154. 163; 3, 11. Conferas *J. H. Breasted-H. Ranke*, Geschichte Ägyptens 81. 155s. Berlin 1910.

[2] *P. M. Meyer*, Das Heerwesen der Ptolemäer und Römer in Ägypten. Leipzig 1900 (Archiv für Papyrusforschung II, 147—159).

[3] Nephajan (נפין) est nomen Persicum: *napâo-yâna* = gratia (dei) Napâo. Item nomen Waidrang (ויזרנג) Persicum est: *vayu-dareñgha* = socius (genii aëris) Vayu et cum nomine Persico Ὑδάρνης, cuius apud Herodotum (Hist. 3, 70; 7, 66. 83) mentio fit, aequandum.

[4] Conferas *M. Lidzbarski*, Ephemeris für semitische Epigraphik II, 221—223.

M. J. Lagrange (Revue biblique N.S. V, 1908, 349) cum colonia militum Judaicorum in Elephantine-Syene commorantium milites Judaicos Pelusii stativa habentes comparat, quibus ultimo a. Ch. n. saeculo „introitus in Aegyptum" a septentrionibus ita defendendus erat,[1] ut illi coloniae quinto a. Ch. n. saeculo introitus a meridie. Quibus militibus Judaicis cum brevi mercatores Judaici se adiunxerint, quod *F. Stähelin* (Israel in Ägypten nach aufgefundenen Urkunden 13. Basel 1908) dicit Judaeos in Elephantine-Syene habitantes mercatores fuisse, qui praesidii Persarum opibus vivebant, non sine aliqua veritatis specie est.[2]

Judaeos aetate Ptolemaeorum in Aegypto militiae nomen dedisse antiqui scriptores tradunt. Velut Aristeas (Ep. § 13)[3] narrat iam regnante Ptolemaeo I Lagi (305—285 a. Ch. n.) triginta milia Judaeorum captivorum in Aegyptum venisse atque ad loca munita custodienda adhibita esse (cf. Jos. Ant. Jud. 12, 1). Josephus memoriae prodit Oniam et Dositheum duces Judaicos Ptolemaeo VI Philometore eiusque coniuge Cleopatra regnantibus (181—146 a. Ch. n.) toti exercitui Aegyptio praefuisse (C Ap 2, 5) atque Helkiam et Ananiam, filios Oniae, conditoris templi Heliopolitani, regnante Cleopatra, filia Ptolemaei VI, exercitui Aegyptio praepositos fuisse (Ant. Jud. 13, 10. 4; 13, 13. 1). Multos vero Judaeos non solum cum Persis in Aegyptum venisse, sed iam antea regi cuidam nomine Psammetich,[4] cum contra Aethiopas proficisceretur, auxiliares Judaeos missos esse Aristeas (Ep. § 13. cf. § 35) narrat.[5] Quod idem

[1] Jos. Ant. Jud. 14, 6. 2: *Τοὺς ὑπὲρ Πηλούσιον τῶν Ἰουδαίων οὗτος αὐτῷ προσηγάγετο καὶ συμμάχους ἐποίησεν φύλακας ὄντας τῶν εἰς τὴν Αἴγυπτον ἐμβολῶν.* Pelusium ad mare mediterraneum situm erat, a Port Said ad meridiem et orientem versus, prope Tell el-Farama, ab ostio Pelusiaco, quod nunc iam non apparet, ad orientem versus.

[2] Conferas *N. Peters*, Die jüdische Gemeinde von Elephantine-Syene und ihr Tempel 20s.

[3] Auctor epistulae se Aristeam et magistratum regis Ptolemaei II Philadelphi (285—247 a. Ch. n.) nominat. Si verum dicimus, epistula a Judaeo quodam in Aegypto commorante scripta est et quidem eo consilio, ut gentibus Judaismum et conversionem LXX interpretum tamquam fontem purum atque certum commendaret. Plerique eam inter annos a. Ch. n. 160 et 130 (*E. Kautzsch* [Apokryphen und Pseudepigraphen des Alten Testaments II, 3. Tübingen 1900] inter annos 96 et 63) scriptam esse arbitrantur.

[4] *W. M. Müller*, Der Königsname Psammetich (Orientalistische Literatur-Zeitung XVI, 1913, 49—52).

[5] Quaeritur, utrum hîc de Psammetich I (663—609 a. Ch. n.) an de Psammetich II (593—588) agitur. Plerique dicunt de posteriore rege agi, propterea quod eum solum contra Aethiopas profectum esse accepimus (cf. Herod. Hist. 2, 161 et inscriptionem quandam huius regis prope vicum Karnak inventam, in qua expeditionis ab eo in Aethiopiam susceptae mentio fit). At ex aliorum opinione iam Psammetich I Aethiopibus bellum intulit, cum eum peregrinos mercede conduxisse a scriptoribus Graecis traditum sit. Qui etsi tantum *Ἴωνας καὶ Κᾶρας* commemorant, tamen fieri potest, ut etiam in Palaestina milites mercennarios conquisiverit. Hoc quoque respiciendum est: Sidkija, regem Juda, cum anno 594 consilium cepisset contra Nebucadnezar, regem Babyloniae, re-

et papyris Aramaicis in insula Elephantine effossis et inscriptionibus militum mercede conductorum prope Abu-Simbel inventis[1] confirmatur. Una ex illis inscriptionibus tres partes, in quas exercitus Pharaonis Psammetich contra Aethiopas proficiscens dividebatur, nominat: Aegyptios, quibus Amasis, Graecos, quibus Psammetich, filius Theoclis, viros aliarum linguarum (*ἀλλογλώσσους*),[2] quibus homo Aegyptius nomine Potasimto praeerat. In quibus *ἀλλογλώσσοις* milites Judaici, quos Aristeas commemorat, quaerendi sunt. Inscriptio quaedam templi Osiridis Abydi[3] aedificati nomina ducum militum mercennariorum, qui cum rege Psammetich in Nili insulam Elephantinen profecti sunt, continet; praeterea ibi nomina Phoenicia addita sunt (sex lineis), quae Phoenices in eodem exercitu stipendia merentes significant. Qui Phoenices milites Judaici, quos Aristeas commemorat, intellegendi sunt.[4]

Quaestio illa, utrum Judaei in Elephantine-Syene commorantes *coloni militares* an *civiles* existimandi sunt, artissime cohaeret cum alia, utrum vocabulum quoddam, quod in papyris saepe (septemdecim) invenitur (A 2. 3. 9; B 3. 4. 9. 10; C 2 bis; D 2; E 2. 10; F 3; G 2; H 2. 4; K 2), דגל an דגל legendum sit.[5] Quae quaestio, cum litterae ר et ד in papyris distingui non possint, palaeographice dissolvi non potest. Complures viri docti (velut A. H. Sayce-A. E. Cowley, M. Lidzbarski, J. Döller) legunt דגל idque vocabulum *comitatum*, *clientelam* i. e. significationem eorum incolarum urbis

bellare (Jer c. 27), auxilia in Aegyptum misisse haud verisimile est. Conferas *C. Steuernagel*, Die jüdisch-aramäischen Papyri und Ostraka aus Elephantine und ihre Bedeutung für die Kenntnis palästinensischer Verhältnisse (Zeitschrift des Deutschen Palästinavereins XXXV, 1912, 85–104), qui locum allatum epistulae Aristeae ad Pharaonem Psammetich I referens coloniam Judaeorum in Elephantine-Syene habitantium ex militibus mercennariis, quos rex Menasse Pharaoni illi, cum Aethiopibus bellum inferret, auxilio misit, ortam esse putat.

[1] Abu-Simbel (etiam Abu-Simbul, Ibsambul, Ipsambul) est locus a Nilo occidentem versus in Nubia inferiore situs cum duobus templis subterraneis a Pharaone Ramses II aedificatis. Ibi inscriptiones Graecae et Phoeniciae inveniuntur (cf. Corpus inscriptionum Graecarum 5126. Corpus inscriptionum Semiticarum 111–113). Inscriptiones Graecae maximam partem dialecto Dorica conscriptae a militibus mercennariis exercitus regis Psammetich II profectae sunt.

[2] Apud Herodotum (Hist. 2, 154) vocabulum *ἀλλόγλωσσοι* omnes in Aegypto peregrinis linguis loquentes, Graecis non exceptis, significat.

[3] Aeg. *Abotu*, cuius urbis ruinae prope vicum el-Cherbe sitae sunt.

[4] *W. v. Landau*, Die phönizischen Inschriften 23 (Der alte Orient VIII, 3) Leipzig 1907.

[5] I Sm 4. 10 et 15. 4 quoque quaeritur, utrum דגל (text. masoreth.) an דגל (*τάγμα* LXX) legendum sit.

intellegunt, qui non omnia iura civilia possident. Verba לרגל פ, si id recte se habet, ita intellegenda sunt ut compluribus locis veteris testamenti (velut Ex 11, 8. Jdc 4, 10. 15; 5, 15. I Sm 15, 17; 25, 27) et lin. 16 stelae Panammu regis (בלגרי מראה תגלתפלסר, ubi בלגרי est transmutatio pro ברגלי)[1] i. e. *in alicuius comitatu* (*clientela*) *esse*. Contra alii (ut R. Smend, J. Hontheim, M. J. Lagrange, E. Schürer, W. Staerk, U. Wilcken, N. Peters) legunt דגל (quod vocabulum cum Akkadico *diglu* i. e. id, quod tenditur, coniungunt;[2] cf. Syrium דגלא) = *vexillum militare*, *manus circa vexillum collecta* (Germ. Fähnlein).[3] Verba igitur לרגל פ significant signi, partis alicuius esse. Quare בעל דגל is est, qui ad partem aliquam exercitus pertinet.[4] Nomen autem, quod vocabulum דגל sequitur, ducem eius partis exercitus significat.

Nominantur: 1) דגל וריזת *manus Warîzath*, ad quam pertinent Konjah, filius Zadok (A 2), Machsejah, filius Jedonjah (A 3; B 4; E 2; F 3; G 2), eius gener Jesanjah, filius Urijjah (B 10), eiusque nepotes Machsejah et Jedonjah, filii Nathan (K 2). — 2) דגל ארתבנו *manus Artabanu*, ad quam pertinet Dargman, filius Charschin, (B 3). — 3) דגל אתרופדן *manus Athropadan*, ad quam pertinet Konjah, filius Zadok (B 9). — 4) דגל חומדת *manus Haumadatha*, ad quam pertinent Machsejah, filius Jedonjah (C 2; D 2), eiusque gener Jesanjah, filius Urijjah (C 2). — 5) דגל אדנגבו *manus Iddin-Nabû*, ad quam pertinent Menachem et Ananjah, filii Meschullam (H 2), atque Jedonjah et Machsejah, filii Aschor bar Sacha = Nathan (H 3. 4).[5]

Ex qua enumeratione apparet saepius viros ex una parte exercitus in aliam translatos esse. Konjah primo ad manum Warîzath (A 2), deinde ad manum Athropadan pertinebat (B 9); Machsejah,

---

[1] Inscriptio Panammu regis, quae est aetatis regis Tiglath-Pileser III (745—727 a. Ch. n.), vere anni 1889 in Tachtaly Bunar (in loco funeribus destinato) inventa est et nunc in novo museo Berolinensi servatur, Conferas *M. Lidzbarski*. Handbuch der nordsemitischen Epigraphik 442s. Weimar 1898.

[2] *F. E. Peiser* (Orientalistische Literaturzeitung X, 1907, 623s.) vocabulum דגל ex Akkadico *dâgil pani* (= imperio subiectus) ducit.

[3] In lingua quoque Neohebraica vocabulum דגל *manum*, *partem exercitus* valet (*J. Levy*, Neuhebräisches und chaldäisches Wörterbuch über die Talmudim und Midraschim I, 376b. Leipzig 1876). Conferas etiam vocabulum Arabicum *daǧǧâlatun* = manus.

[4] Ita illud quoque explicatur, quod in papyris A 9 et E 10 cives urbis Syene (בעל קריה) ab iis, qui sunt partis alicuius exercitus (בעל דגל), discernuntur.

[5] PS 27, 3 pars exercitus nomine נבוכדרי *Nabukudurri* significatur, quod nomen Babylonium ex nomine Nebukadnezar contractum esse videtur.

filius Jedonjah, primo ad manum Warîzath (A 3; B 4), deinde ad manum Haumadatha (C 2; D 2), tum rursus ad manum Warîzath (E 2; F 3; G 2); Jesanjah, filius Urijjah, primo ad manum Warîzath (B 10), deinde ad manum Haumadatha (C 2); fratres Machsejah et Jedonjah, nepotes Machsejah senioris, primo ad manum Iddin-Nabû (H 3. 4), deinde ad manum Warîzath (K 2).

Ex nominibus, quibus partes exercitus appellatae sunt, priores quattuor Persica sunt, quintum Babylonium est. Ut iam supra diximus, iis nominibus duces exercitus appellati esse existimandi sunt.[1] Id eo refutari videatur, quod prima papyrus, ubi Warîzath commemoratur (A), ab ultima (K) spatio sexaginta annorum separatur (471—411 a. Ch. n.); nam eundem Warîzath etiam anno 411 parti exercitus praefuisse (K 2), qui ei anno 471 praeerat (A 2), vix est credibile. At lectio וריזת in K 2 valde incerta est. Prima littera et ו et ם esse potest, altera et ר et ד vel ז; de tertia littera perpauca vestigia exstant, de quarta nihil videtur; quinta littera et ת et ן vel ק esse potest. Ceterae quinque papyri, ubi nomen Warîzath invenitur (A, B, E, F, G), inter annos 471—440 scriptae sunt, ut nihil obstet, quin existimemus Warîzath tantum annos triginta unum parti exercitus praefuisse. Sin autem lectio וריזת in K 2 recta est, existimari oportet alium Warîzath intellegendum esse atque in ceteris papyris aut illa quinque nomina non duces partium exercitus, sed eos viros, qui eas comparaverunt, significare.

Plurimi eorum Judaeorum insulam Elephantinen incolebant, ubi templum quoque erat. Pars autem eorum in urbe Syene habitabat. Ut vero duo illa loca munita coniuncta erant, ita Judaei in illis locis habitantes unam civitatem constituerunt. Ita explicatur papyros H, J, K „in loco munito Jeb", papyros B, C, D, F „in loco munito Syene" scriptas esse.[2]

Sermo communis eorum Judaeorum erat Aramaicus. Quod quidem non ex eorum litteris iudicialibus aut ex eorum epistula ad

[1] Quod quattuor ducibus nomina Persica sunt, eo non demonstratur coloniam Judaeorum a Persis conditam esse. Antiquior erat quam Cambyses et Cyrus, cum Cambysis aetate iam eius templum exstaret neque Cyrus unquam in Aegypto regnaret. Quodsi nonnullae partes exercitus duces Persicos habebant, existimandum est illos duces iis sub regibus Persarum, Cambyse eiusque successoribus, praepositos esse.

[2] Conferas *N. Peters*, Die jüdische Gemeinde von Elephantine-Syene und ihr Tempel 16—19.

Bagohi, Persarum in Judaea praefectum, missa (PS 1 et 2) aut e brevi adnotatione eius, qui eam reddere debebat (PS 3), sed inde, quod narrationes et carmina Aramaice scribebant, apparet. Quin pars eorum Judaeorum linguam quoque Hebraicam intellexerit, non est dubium, quoniam et templum Jahvae et sacerdotes habebant. Idem etiam ex Hebraismis, qui in eorum litterarum monumentis inveniuntur, atque ex vocabulis Hebraicis, quibus de sacris utebantur (מנחה et לבונה, fortasse etiam עולה = עלוה, cf. PS 1, 21. 25; 2, 21. 24; 3, 9) perspicimus. Ceterum videas PS 42. tab. 37. p. 137.

Lingua Aramaica a quinto a. Ch. n. saeculo erat sermo communis omnium Semitarum, qui inter Pontum Euxinum et Aegyptum habitabant, et reges Persarum eorumque magistratus in omnibus rebus eâ linguâ utebantur. Omnia edicta, quae ad rempublicam pertinebant et Persarum linguâ conscripta erant, translationem Aramaicam habebant; omnia litterarum documenta et publica et privata linguâ Aramaicâ conficiebantur. Atque cum scriptura cuneiformis Persarum tantum in argilla vel lapide, non in papyro vel corio inscribi posset, scriptura Aramaica etiam ad Persarum linguam scribendam usurpabatur. Unde scriptura Pehlewi, quae vocatur, manavit.

Mireris, quod Judaei in Elephantine-Syene habitantes (ut Judaei quoque aliarum urbium Aegypti) iam quinto saeculo etiam privatim linguâ Aramaicâ utebantur neque ullum linguae Hebraicae (nominibus propriis et nonnullis Hebraismis exceptis) vestigium apud eos invenitur. Quod e cognatione linguarum Hebraicae et Aramaicae explicatur. Nehemia quoque (13, 23—25) queritur, quod eius aetate liberi Judaici ex matrimoniis mixtis oriundi iam non „Judaice" loqui possunt. Aetate Graecorum lingua Hebraica in Palaestina lingua mortua erat, quae nisi in ministerio divino et in libris ad religionem pertinentibus non usurpabatur. Ceterum Judaei in Aegypto habitantes postea linguâ quoque Aramaicâ uti desierunt atque linguam Graecam receperunt.

IV

Milites mercennarii Judaici, cum in Aegyptum venissent et in Elephantine-Syene collocati essent, religionem patriam secum attulerunt et in ea perseveraverunt neque cum patria commercium habere desierunt, quamquam (linguâ Hebraicâ relictâ) linguâ Aramaicâ utebantur. Neque minus studiose Jahven colebant quam populares in Palaestina habitantes, id quod ex papyris Aramaicis apparet. Nam eorum deus יהו esse dicitur (PS 1, 6. 24. 26; 2, 24. יהה E 14) i. e. J a h v e.[1] In testa quadam a C. Clermont-Ganneau in in-

[1] Nomina יהו et יה E. Sellin in urbe quoque Jericho (*Tell es-Sulṭân*) ansis urceorum saeculis a. Ch. n. quinto et quarto (eodem igitur tempore, quo papyri

sula Elephantine inventa יהה צבאת i. e. *jhh exercituum*[1] et saepius אלה שמיא *deus caeli* vocatur (velut PS 1, 2. 27—28; 11, 3) neque proprio nomine appellatur. Quod aetate Persarum vulgo apud Judaeos moris fuisse constat, qui mos cum metu nomen dei sanctum pronuntiandi (cuius tamen rei in papyris Aramaicis nullum vestigium reperitur), tum studio ceteris gentibus, imprimis militibus Persarum, demonstrandi deum Judaeorum esse deum potentissimum, qui et regnum caeli teneat et mundum gubernet, explicatur. Etiam vocabulo אלהיא significatur, quod utique translatio Hebraici אֱלֹהִים in linguam Aramaicam est, ut non „dii", sed „deus" intellegi necesse sit.

Quaerenti, quo modo Judaei illi nomen dei יהו pronuntiaverint, dicendum est id pro certo exquiri non posse. Complures viri docti *Jâhô* pronuntiandum esse existimant, propterea quod in papyro E et in testa quadam יהה scriptum est, littera autem ה tertio loco posita nisi e vocali *o* explicari non potest. Idem commendatur antiquâ formâ יָהוֹ, quae in nominibus propriis veteris testamenti invenitur,[2] et Graecorum pronuntiatione *'Iαῶ* (Diod. Sic. Bibl. hist. 1, 94), quamquam Assyriorum pronuntiatio atque *'Iαού* Graecorum (Clem. Alex. Strom. 5, 6) pro ea opinione, qua illi Judaei *Jâhú* locuti esse putantur, afferri potest.[3] Fortasse יהו est antiquior forma nominis divini quam Hebraicum יהוה, quod litterâ ה abstractionis in fine positâ magis notionem numinis quam primum dei nomen significat. Neque vero quod forma יהו in nominibus quoque veteris testamenti invenitur, idcirco pronuntiatio *Jahve* postea demum orta atque nomen יהוה veteris testamenti Jâhô legendum est. Nam si ita esset, scriptio יהוה inscriptione lapidis regis Mesa (lin. 18) contestata explicari non posset. Immo vero יהו nihil aliud est nisi compendium vocabuli יהוה.[4]

Cum in papyro E et in testa quadam יהה pro יהו scriptum legamus atque *o*, si littera finalis est, in textu quoque masorethico nonnunquam litterâ ה reddatur (velut שילה, שלמה), *E. Sachau* (in adnotatione ad pap. 1, 2) in nomine יהוה eas diversas scribendi rationes coniunctas esse posse putat, ut id nomen tantum pronuntiationem *Jâhô(ú)* reddat. Quod improbans *F. Schwally* (Orientalistische Literaturzeitung XV, 1912, 163s.) in inscriptionibus cuneiformibus nomen dei Judaeorum nisi partem nominum hominum non inveniri et in vetere quoque testamento utrumque compendium nominis Jahve usitatum esse affirmat, *Jâhú* in fine, *Jâhô* in initio eorum nominum. Fortasse Judaeos insulae Elephantines religione adductos compendia nominis Jahve usos esse, sicut Judaei Palaesti-

---

Aramaicae scriptae sunt) incisa invenit (*E. Sellin-C. Watzinger*, Jericho. Die Ergebnisse der Ausgrabungen dargestellt 159. Leipzig 1913). Hîc quoque de nomine dei Judaico, non de ullo nomine contracto hominis agitur.

[1] Revue biblique N. S. V, 1908, 261. n. 2.

[2] *H. Bonk* in Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft XI, 1891, 125—155.

[3] Conferas *E. König*, Jahu oder Jaho? (Orientalistische Literaturzeitung XVI, 1913, 107—114).

[4] Videas etiam *H. Grimme*, Sind יהו und יהוה zwei verschiedene Namen und Begriffe? (Biblische Zeitschrift XVII, 1925, 29—42).

nenses pro dei nomine alia vocabula (ut שמים, מקום, רחמן) aut compendia usurpaverint, id quod e Mischna (Sanhedrin 10, 1) et scriptis Graecorum patrum ecclesiae appareat.

A. Ungnad (Aramäische Papyrus aus Elephantine III s.) iudicat: Dubium esse, utrum nomen יהו *Jâhú* an *Jâhô* legendum sit. In vetere testamento atque in inscriptione lapidis regis Mesa semper יהוה scriptum esse, quod non *Jâhô* legi possit. Integram formam nominis (si transcriptionem Graecam *laβε* omittimus) in inscriptionibus quinti saeculi inveniri, quae in ruinis urbis Babyloniae Nippur (hodie Niffer, Nuffar) effossae sint inque iis multa nomina Judaica cum *Jâma*, quod *Jâwa* pronuntiandum sit,[1] composita sunt. E qua scriptione colligendum esse vocalem ultimam brevem esse, ut forma *Jahwa* (cum brevi vocali exeunte) efficiatur. Litteris Semiticis id nomen יהוה (i. e. cum matre lectionis ה) vel יהו (i. e. sine matre lectionis) scribi potuisse. Et fuisse eam plenam formam nominis dei neque demonstrari posse antiquiore tempore iam aliam formam usitatam fuisse, si nomina propria excipiamus; ibi ex Jahwa יָהּ, inde aut יָהוּ aut (litterâ ה omissâ et diphthongo *aû* in *ô* contractâ) יוֹ scriptum legi. In vetere testamento tantum formas יְהוֹ et יוֹ inveniri. Illam priorem esse formam corruptam. Nam cum in lingua posterioris aetatis in initio nominum tantum forma יוֹ usitata esset, masorethas *ô* in litteras יהו transtulisse, ut forma יְהוֹ exstiterit. יהוה igitur veteris testamenti a יהו papyrorum tantum orthographice differre.

At antiquiorem pronuntiationem quattuor litterarum יהוה Jahwa fuisse ex nominibus Babyloniis quinti saeculi in *jâma* exeuntibus demonstrari non potest, quia ea nominibus Judaicis in *jah* (יה) exeuntibus respondent. Nam et temporibus Esrae ac Nehemiae et postea nomina in *jah* exibant, id quod nominibus quoque, quae in papyris Elephantines inveniuntur, comprobatur. Probabile est יהוה, quae quattuor litterae secundum traditionem Samaritanorum et Christianorum pronuntiandae sunt, et nomen יהו in papyris Elephantines usitatum ex eadem forma *Jahwa* procedente tempore manavisse, ut *Jâhú* vel *Jâhô* pronuntiari oporteat.

Porro Judaei illi per Jahven iurant (B 4. 11). Sola Mibtachjah semel per deam Sati (F 5: בסתי אלהתה) iurat. Existimare autem possumus Pi' bar Pachi Aegyptium hoc iusiurandum ab ea postulasse, quod iuriiurando apud Judaeos usitato diffidebat. Alii Mibtachjah tum, quod a religione patrum defecerit, a civitate Judaica exclusam fuisse putant.[2] Neque dubium est, quin in Elephantine-Syene quoque, ut temporibus Esrae et Nehemiae in Palaestina (Esr 9, 12; 10, 2s.), matrimoniis mixtis religio Jahvae in magnum periculum vocata sit. At Mibtachjah alterum maritum gentilem ad religionem Mosaicam amplectendam impulit; nam postea iam non Aschor bar Sacha, sed Nathan (נתן) nominatur (J 3; K 2) eiusque

[1] Quin Jâwa nomen dei sit, dubitari non posse. Ut enim in vetere testamento praeter formam גְּדַלְיָהוּ formam גְּדַלְיָה, ita in inscriptionibus in ruinis urbis Nippur effossis praeter formam *Gadaljâwa* formam *Gadal'â* (= Gadaljâ) inveniri, unde appareat Gadaljâwa formae גְּדַלְיָהוּ respondere. Conferas *Gadaljâwa*, filius Šabbatâi (Bab. Exped. of the Univers. of Pennsylv. IX, 69. lin. 20) et *(G)adal'â*. filius Šabbatâi (ib. 86a. lin. 1).

[2] *J. Hontheim* in Biblische Zeitschrift V, 1907, 227.

duo filii e Mibtachjah geniti (Jedonjah et Machsejah) dilucide Judaei (יהודין) appellantur (H 3).[1] Fortasse Hoschea quoque, filius Peti-Chnûm (B 17; הושע בר פטחנום), ab Aegyptio quodam, qui Judaeam duxerat, genitus est, nisi, ut Nathan, proselytus fuit.

Quodsi Judaeorum illorum sacerdotes deum Aegyptium Chnûm אלהא (deum) nominant (PS 1, 5), nihil aliud nisi Aegyptiorum usum loquendi sequuntur. Jehochanan כהנא רבא (sacerdotem magnum) vocant (PS 1, 18) et se ipsos כהניא (PS 1, 1), sacerdotes autem dei Chnûm כמריא (PS 1, 5),[2] quod vocabulum sacerdotes idolorum significat,[3] ut Hebraicum כְּמָר sacerdotem idolorum (II Rg 23, 5. Hos 10, 5. Zeph 1, 4), כֹּהֵן autem sacerdotem e tribu Levi oriundum. Ex templo suo diruto, quod plane „templum dei Jâhû" (אגורא די יהו) nominant (PS 1, 6. 24), summum dolorem percipiunt, id quod ex epistula ab iis ad Bagohi, Persarum in Judaea praefectum, missa apparet: „Una cum coniugibus et liberis vestes lugubres gestabamus, ieiunium servabamus, Jâhû, dominum caeli, precabamur" (PS 1, 15; 2, 13). „Usque ad hunc diem vestes lugubres gestamus et ieiunium servamus, uxores nostrae ut viduae factae sunt (i. e. matrimonia non inimus et mariti a concubitu abstinent), oleo iam non unximus neque vinum bibimus" (PS 1, 20s; 2, 18s.). Quantopere religionem suam amplexi sint, inde quoque efficitur, quod omnibus viribus id agebant, ut templum rursus exstrueretur et cultus divinus restitueretur.

PS 1, 22 Judaei se in loco templi deleti sacra fecisse negant. *E. Sachau* propterea minime mirum esse putat, quod sacra iam facta non sint, quoniam templum deletum fuerit. Contra *F. Schwally* (Orientalistische Literaturzeitung XV, 1912, 162 s.) ad sacra facienda necesse fuisse, ut pristinum altare restitueretur, negat, quod ex Jer 41, 5 appareat in loco quoque templi Hierosolymitani deleti inter annos 586 et 536, quo anno altare restitutum sit, sacra facta sint. Ceterum Judaeos insulae Elephantines etiam alio loco altare erigere potuisse. E contextu cum lin. 19—21 effici ad luctum significandum sacra omissa esse. Id quoque

[1] Utrumque filium Mibtachjah in matrimonio cum Aschor bar Sacha genitum religionem Judaicam amplexum esse ad matriarchatum quoque, qui apud Aegyptios vigebat, referri potest, ex quo liberi in matris religione educabantur. Quod si recte se habet, inde quoque apparet Mibtachjah a religione patrum non defecisse.

[2] Conferas E 15, ubi in fundo describendo dicitur, ab eo occidentem versus fundum alicuius sacerdotis (כמר) dei Chnûm deaeque Satis situm esse.

[3] Judaei igitur, quod sacerdotes suos non vocabulo Aramaico כמר (Syr. *kumrâ* sive *kumrô*, cf. Akk. *kamâru* = se prosternere), sed vocabulo Hebraico כהן appellant, indicare volunt sibi sacerdotes Jahvae prorsus aliquid aliud esse atque sacerdotes peregrinorum deorum.

poni posse Judaeorum hostes templo deleto non contentos etiam impedivisse, ne sacra fierent. Quod e lin. 25s. colligi posse, ubi Judaei se templo restituto sacra „nomine" i. e. permissu praefecti Bagohi facturos dicunt.

Quae cum ita sint, Judaeos in Elephantine-Syene commorantes Jahven diligentissime coluisse constat. Neque vero Jahve unus eorum deus erat, sed et alia numina divina venerabantur.

Quod iam ex verbis: אלהיא כל ישאלו שלמכי = *dii omnes salutem tuam quaerant*! (i. e. salus tua diis omnibus curae sit!),[1] a quibus epistula, quae PS 12 continetur, incipit, colligendum est. Nonnulli existimant אלהיא hîc ut אֱלֹהִים in vetere testamento pro singulari accipi posse.[2] Quod falsum esse sequenti vocabulo כל demonstratur. Neque כל Germanico „recht" reddi potest,[3] quod nullum eius significationis exemplum exstat. Apparet igitur et eum, qui epistulam, ubi ea verba leguntur, scripsit, et eum, qui epistulam accepit, polytheismo deditos fuisse.[4] Atqui qui epistulam scripsit, erat vir nomine Hoschea, qui epistulam acceperunt, Schelewa eius domina et Menach(ch)em eius dominus, quibus nominibus efficitur omnes tres Judaeos fuisse. Ergo inter Judaeos in Elephantine-Syene habitantes erant, qui plures deos colerent.

Cum eadem formula salutandi in epistula quoque a Chananjah Judaeo ad Judaeos in Elephantine habitantes missa usurpetur (PS 6, 2),[5] dubium non est, quin vocabulum Aramaicum אלהיא hîc Hebraico אלהים respondeat, quo vocabulo Jahve significabatur. Nam Chananjah, cum Judaeos de praeceptis festi Mazzoth admoneat, plures deos coluisse existimari non potest. Et cognoscimus ex PS 56, 1 formam pluralem אלהיא interdum vi singularis numeri fuisse, quoniam ibi cum verbo singularis numeri (יסגד) coniuncta est.

Quod in epistula ad Arscham Persam missa formula salutandi invenitur: „Salutem domini nostri dii (אלהיא) omni tempore quaerant!" i. e. saluti domini nostri dii consulere ne desinant! (PS 5, 1), qui illam epistulam scripserunt, de Jâhû deo suo et urbanitate adducti de diis eius, cui epistula redderetur, cogitare poterant.

---

[1] Conferas locutionem Akkadicam „*šulmu šarri ša'âlu*" = salutem regis quaerere, i. e. regem venerandi causâ consalutare (*Frd. Delitzsch*, Assyrisches Handwörterbuch 664s. Leipzig 1894—96).

[2] *W. Staerk*, Alte und neue aramäische Papyri übersetzt und erklärt 16. 88. *J. N. Epstein* in Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft XXXII, 1912, 145.

[3] *W. Staerk* l. c. 68.

[4] Fortasse אֱלֹהִים אֲחֵרִים intellegendi sunt, quos quod colebant, Jeremia 44, 3 Judaeis in Aegypto commorantibus crimini dedit.

[5] Quod vocabulum אלהיא excepit, haud dubie formula salutandi fuit eaque his fere verbis: שלם אחי אלהיא | ישאלו בכל עדן = salutem fratrum meorum (i. e. salutem vestram) dii omni tempore quaerant = diis salus vestra semper curae sit!

Idem ex PS 18 manifestum fit, ubi viri et feminae „exercitus Judaici" enumerantur, qui tributum ad sumptum cultus *Jâhû* suppeditandum persolverunt.[1] Sub titulo: „Die tertio (mensis) Phamenoth anni quinti" (nomen regis Darii II Nothi omissum est) i. e. die sexto Junii anni a. Ch. n. 419 in sex columnis nomina eorum, qui id tributum persolverunt, conscripta sunt; nomini uniuscuiusque tributum (כסף ש II, formâ contractâ כ ש II = argentum duorum siclorum)[2] additum est. Numerus eorum, qui tributum persolverunt, accurate constitui non potest, utrum 92 an 102 an 112 an 122.[3] Certe summa pecuniae collectae (318 sicli = 1 keresch et 8 sicli, cf. col. 7, 3) numero eorum, qui contribuerunt, maior est. Quare aut plures contribuisse existimandi sunt, quam in hac papyro enumerati sunt, aut nonnulli ex iis plus duos siclos persolverunt, quod tamen titulo repugnat, ex quo omnes binos siclos persolverunt. Quae cum ita sint, verisimillimum est papyrum non integram esse, aliis verbis, eam dextrorsus initio maiorem fuisse quam nunc est. At praeter deum יהו col. 7. lin. 5 et 6 duo alia quoque numina divina nominantur, quae e pecunia persoluta tantundem fere accipiunt, quantum Jâhû: ענתביתאל *ʿAnâth-bêth'êl* et אשמביתאל *'Aschim-bêth'êl*.[4] Quod autem pecunia tribus numinibus divinis tribuitur, id cum titulo discrepat, quippe ex quo pecunia ab exercitu Judaico data deo Jâhû (ליהו אלהא), non aliis numinibus divinis destinata esset. Quare ex hac quoque causa ponendum esse videtur papyrum initio dextrorsus maiorem fuisse atque plures columnas continuisse. Neque quidquam obstat, quin etsi titulus, qui exstat, initium papyri esse videtur, tamen quondam plures columnae fuerint, quam ad nos pervenerunt. Quae columnae procul dubio similiter inscriptae erant: „Die tertio (mensis) Phamenoth anni quinti. Haec sunt nomina exercitus Judaici, qui argentum dedit pro ʿAnâth-bêth'êl et 'Aschim-bêth'êl" etc.

[1] Index nominum viros et feminas continet. Quod quo modo cum verbis tituli שמהת חילא יהודיא = *nomina exercitus Judaici* conveniat, quaeritur. In ea re respiciendum est verba חילא יהודיא milites Judaicos unâ cum eorum familiis significare, ut ea hic „coloniâ militum Judaicorum" convertenda sint; câ autem et viri et feminae continebantur.

[2] Litteram ש compendium vocabuli שקלן esse ex col. 7, 3 apparet.

[3] Praeterea in columna septima decem nomina adscripta sunt.

[4] Jâhû 12 keresch et 6 sicli, ʿAnâth-bêth'êl 12 keresch, 'Aschim-bêth'êl 7 keresch tributi sunt.

F. Nau (Le denier du culte juif à Éléphantine au Ve siècle avant notre ère. Revue de l' Orient chrétien. 2. S. VII, 100–104) arbitratur PS 18 complures tabulas tributorum coniunctas esse, ut tributa, quae Judaei pro deo Jâhû solvebant, cum tributis, quae coloni ex Palaestina septentrionali oriundi, qui polytheismo dediti erant, pro suis deabus solvebant, mixta sint.

J. N. Epstein (Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft XXXIII, 1913, 145–147) PS 18 tabulam tributorum a Judaeis insulae Elephantine pro templo Hierosolymitano solutorum continere arbitratur. Quod his causis demonstrare studet: 1) In titulo illius tabulae tantum de „anno quinto" sermo est, sed neque aera ulla neque rex commemoratur, ex cuius annis computetur. Quare necesse non est annum quintum Darii II Nothi intellegi, sed etiam annus quintus Pharaonis Amyrtaei, qui Persarum imperio deleto primus Aegyptiorum rex factus est (anno 406), intellegi potest. — At tali re, quae tantummodo fieri potuit, nihil demonstratur. 2) Ex nominibus in illa tabula allatis aetate Darii II Nothi sola haec inveniuntur: Jedonjah bar Gemarjah, qui coloniae Judaeorum praefuisse videtur (col. 7, 1), Hoschea bar Natun (col. 3, 9), Achjo bar Natun bar Anani (col. 7, 9), qui testis loco in syngrapha quadam ʿanni octavi Darii II Nothi subscriptus est et frater Me'uzja bar Natun bar Anani esse videtur. Cetera nomina ad genus quoddam posterius pertinere videntur, velut Anani bar Me'uzja (col. 4, 10), qui filius Me'uzja bar Natun bar Anani esse videtur. — At ne iis quidem rebus certum quidquam efficitur. 3) Mensis Phamenoth (= mensis Sivan) ei tempori respondet, quo tributum pro templo Hierosolymitano solvendum in terris Palaestinae finitimis, quarum Aegyptus quoque est, exigebatur. — At num Judaei insulae Elephantines iam tam brevi tempore postquam suum templum anno 410 deletum erat, tributum pro templo Hierosolymitano solverint, dubitandum est. Anno 406 illi Judaei haud dubie speraverunt fore, ut suum sacrarium restitueretur. Ceterum temporibus Nehemiae tertia pars sicli (Neh 10, 33), postea dimidia pars sicli (Jos. Bell. Jud. 7, 6. 6. cf. Mt. 17, 24) pro templo solvebatur. Neque verisimile est singulos Judaeos insulae Elephantines binos siclos pro templo Hierosolymitano contulisse. — Conferas *E. König* in Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft XXXV, 1915, 118 s.

Dea *ʿAnâth* (ענת) ex antiquis textibus et imaginibus Aegyptiis vulgo nota est. Ut belli dea gestat cassidem, scutum, lanceam, in sinistra bipennem; semel in equo sedens ficta est.[1] Pharao Ramses II appellatur „fortis (deae) ʿAnâth". De Pharaone Ramses III dicitur: „ʿAnâth et ʿAstarte in eius scuto sunt." Equo cuidam Pharaonis Seti I nomen est: „ʿAnâth gaudet". Gladius quidam Pharaonis Ramses II „ʿAnâth est tutela", eius filia „Bint (filia) ʿAnâth", eius gener „Ben (filius) ʿAnâth" appellatur. In insula quoque Cypro ʿAnâth colebatur. In inscriptione quadam, quae quarti a. Ch. n. saeculi est, Athenae Graecorum aequatur (Inscr. Larnax Lapithu, ubi verba לענת עז חים verbis *Ἀθηνᾷ Σωτείρᾳ Νίκῃ* redduntur). Alia inscriptio in loco Dali (= Idalium) inventa dedicationem לענת continet. Etiam in Palaestina ʿAnâth iam multo ante Israelitarum

[1] Zeit chrift der deutschen morgenländischen Gesellschaft XXXI, 1877, 718s.

immigrationem colebatur. In vetere quoque testamento vestigia cultus eius deae inveniuntur; conferas nomina locorum בֵּית עֲנָת Jos 19, 38. Jdc 1, 33. בֵּית עֲנוֹת (ענת = ענות) Jos 15, 59. עֲנָתוֹת Jos. 21, 18. I Rg 2, 26. Jer 1, 1. al.[1] Pater iudicis Samgar עֲנָת vocatur (Jdc 3, 31; 5, 6), quod compendium verborum עבד ענת (= servus ʿAnâth) esse videtur. Itaque non est mirum, quod eam deam in Asia anteriore et in Aegypto cultam etiam in loco munito Elephantine invenimus, sive quod Judaei eam ibi cognoverunt, sive quod (id quod verisimilius est) eius cultum e patria eo transtulerunt. Atque Judaei illi deam ʿAnâth cum deo יהו ut sociam composuerunt: ענתיהו, *ʿAnâth-Jâhû*,[2] cum in lingua Hebraica ne vocabulum quidem, quo „dea" significetur, exstet. Velut PS 32, 3 Menachem, filius Schallum, homo Judaeus, במסגדא ובענתיהו *per Mesgida et ʿAnâth-Jâhû* iurat.[3]

Minus nota est dea אשמבית'אל. Cuius nominis vocales cum ignoremus, pronuntiationem quoque nescimus. A plerisque *'Aschimbêth'êl* pronuntiatur. Certe vocabulum *schim* (= שם) „nomen" in eo nomine divino quaerendum non est, quod nusquam *schim* cum 'Aleph prosthetico invenitur. Nonnulli id numen cum *Išum* Babyloniorum deo pestilentiae[4] aequare volunt, cuius nomen ex temporibus primae domus regnatricis Babyloniorum[5] haud raro in nominibus hominum invenitur, velut *Išum-nasir*, *Išum-uballit*.[6] Quae nomina cum ad Semitas in occidentem versus habitantes referenda sint, sicut prima domus regnatrix Babyloniorum ipsa, quae originis Amoriticae est, ita cultus dei Išum ab Amoritis ad Babylonios trans-

---

[1] In epistula quadam signis cuneiformibus conscripta, quae ad tabularium Pharaonis Amenhotep IV pertinet atque anno 1918 a museo Louvre comparata est, *Bôr ʿAnâth* commemoratur.

[2] Conferas עשתר כמש = *ʿAstarte* (dei) *Kemôš* (Inscr. Mesa lin. 17). Hîc forma עשתר sine exitu generis feminini usurpata est, quamquam forma feminina, ut apud Hebraeos et Cananaeos-Phoenices, ita apud Moabitas quoque in usu fuisse videtur. Conferas etiam nomen deae Syriae *Atargatis* i. e. *ʿAttar* (= Astarte dei) *ʿAte*.

[3] מסגדא, quod vocabulum nos vocabulo „moschea" reddere solemus, apud Muhamedanos aedes sacra (Arab. *mesǧid*) appellatur, quae vis vocabulo מסגדא loco quoque allato inesse potest. Ceterum cum iureiurando per מסגדא dato conferas Mt 23, 16—22.

[4] *E. Schrader*, Die Keilinschriften und das Alte Testament[3] 587.

[5] Ab anno a. Ch. n. 2049 usque ad annum 1750 (*F. X. Kugler*, Von Moses bis Paulus 497—501. Münster i. W. 1922).

[6] Nomen dei *Išum* nomine אשמכדרי (PS 24. obv. lin. 6) contineri, cum eius posterior pars Babylonia sit, verisimile est. — Saepius hominum nomina cum nomine alicuius dei maligni composita sunt. Conferas nomina cum nomine dei Nêrgal, qui dei Išum similis est, composita.

latus esse potest. Ipsi quoque Semitae in occidentem versus habitantes in urbe Ḥamâth (quae est nobilissima Syriae urbs ad Orontem sita, hodie Ḥamâ) numen quoddam divinum nomine אֲשִׁימָא colebant, cuius cultui coloni a rege Sargon II in regiones regni decem tribuum missi dediti erant (II Rg 17, 30).[1] Alii existimant numen 'Aschim-bêth'êl cum *Ešmûn* (אשמן) deo Phoenicum, qui Aegyptiorum deo Smun (= Pani, deo procreationis) et Graecorum *'Ασκληπίῳ* (= Romanorum Aesculapio) respondet, aequandum esse, quod eius nomen in testis quoque, quae in insula Elephantine inventae sunt, exstat. Alii rursus deam *Σίμην* in Syria cultam,[2] quae interdum numen virilis sexus habetur, cum 'Aschim-bêth'êl comparaverunt. Nonnulli viri docti loco Am 8, 14., ubi propheta cultum a Samaritanis exercitatum vituperat, quorum „virgines pulchrae adulescentesque בְּאַשְׁמַת שֹׁמְרֹן iurant" ita converterunt: „per 'Aschmâ Samariae" (quod vocales in textu masorethico vocabulo באשמת datae ad arbitrium sumptae sint neque conversio „per delictum Samariae" intellegi possit); hîc igitur deae mentionem fieri, cuius nomen easdem consonantes contineat quas nomen numinis divini a Judaeis Aegyptiis culti, ut id nomine 'Aschima appellatum esse videatur. Ad quod haec adnotamus: Etsi nihil refert illud nomen Am 8, 14 sine Jôd, II Rg 17, 30 cum Jôd scriptum

---

[1] Quaeritur, utrum nomen אשימא deam an deum significet. Utrumque fieri potest, propterea quod litterâ ultimâ א et forma feminina et status emphaticus formae masculinae אשים significari potest. Qui autem putant אשימא deam significare, pro qua vi Vulgata (Asima) quoque afferri potest, hac re innituntur: Si littera ultima א vocabuli אשימא statum emphaticum formae masculinae אשים indicaret, loco II Rg 17, 30s. id vocabulum unum esset, quod in statu emphatico positum esset. Etiam interpres Graecus nomine אשימא dea significari putabat. Quod quidem non articulo *τήν* significavit, quoniam quattuor aliis quoque nominibus divinis, quorum v. 30 et 31a mentionem facit, articulum feminini generis addidit eumque non solum plurali feminini generis Sukkôth-benôth (*τὴν Σωκχὼθ Βενίθ*), sed etiam nomini masculini generis Nêrgal (*τὴν Ἐργέλ*) etc. Articulus *τήν* autem inde explicatur, quod interpres Graecus numen imagini eius (*εἰκών*) aequavit. Atque propterea illa quinque numina imaginibus earum aequata sunt, quod ea sunt obiectum verbi עָשׂוּ (= fecerunt). Id inde intellegimus, quod duobus numinibus, quae v. 31b nominantur, ad quae verbum עָשׂוּ iam non pertinet, genus masculinum attribuitur (*τῷ 'Αδραμέλεχ καὶ 'Ανημελὲχ θεοῖς*). Articulo igitur *τήν* non demonstratur interpretem Graecum nomine אשימא deam significari putasse. Id autem exitu *ath* nominis *'Ασιμάθ* (Luc. *'Ασενάθ*) demonstratur.

[2] Emesae (hodie Ḥomṣ) monumentum inventum est, cui nomen deae *Σεμια* (*Σεμα*) inscriptum est. Inscriptio quaedam bilinguis in Dêr el-Qal'a (qui locus ab urbe Beirût meridiem et orientem versus, a vico Bêt Meri meridiem versus situs est) inventa nomen deae *Σιμα* exhibet. Nomina quoque Syria cum nomine deae *Σιμα* composita sunt (cf. *Βασσιμας* i. e. Bar = filius Simae).

esse, tamen nomen in statu constructo positum anomalia est. Tum illâ coniecturâ textus ponitur 'Aschima iam aetate prophetae Amos ab Israelitis cultam esse, cum II Rg 17, 30 memoriae tradatur cultum 'Aschima post annum demum 722 a colonis in fines regni Samariae translatum esse. Neque explicari potest eos, qui illam textus mutationem defendunt, putare 'Aschima deam Samaritanorum propriam fuisse, quoniam illi coloni aliorum quoque deorum cultum in fines regni Samariae induxerunt (II Rg 17, 30s. 33).[1] Sunt etiam (id quod iam supra diximus), qui existiment numen 'Aschim-bêth'êl idem esse ac numen Syrorum *Συμβέτυλος*.[2] Atque cum Syri apud Samaritanos multum valerent, colligunt in insula Elephantine coloniam Samaritanorum (non Judaeorum) fuisse. At coloni in ea insula commorantes se ipsi Judaeos nominant et cum Judaeis Hierosolymitanis commercium habent.

Nominibus eorum numinum בֵּיתאֵל additum est, quod vocabulum per metonymiam pro „deo" usurpatur, ut haud raro vocabulum „caeli" pro „deo" ponitur (Dn 4, 23. Pirke aboth 1, 3; 4, 4. al. — Mt 21, 25 [= Mc 11, 30. Lc 20, 4] Lc 15, 18. Jo 3, 27). Idem vocabulum in nominibus Judaeorum Aegyptiorum saepius loco nominis dei usurpatur. Velut PS 34, 5 testi cuidam nomen est *Bêth'êl-nathan* (בֵּיתאֵלנָתָן = Bêth'êl dedit)[3]. PS 17, 9 nomen *Bêth'êl-ʿaqab* (בֵּיתאֵלעָקֹב = Bêth'êl praemio affecit) scriptum legimus. Praeterea PS 27, 7 *Cherem-bêth'êl* (חרמבית־אל) commemoratur, per quod numen iurabatur.[4] Hierosolymis quoque anno 518 Judaeum quendam nomine בֵּיתאֵל שַׂרְאֶצֶר deprehendimus, qui a Sacharja propheta

[1] Praeterea sunt, qui dixerint in primo textu locorum Mich 1, 5. 7 (*L. Delporte* in Biblische Zeitschrift XI, 1913, 246) et Hab 1, 11 (*T. K. Cheyne* in The Expository Times 1911/12, 136) nomen divinum Aschima fuisse.

[2] Nomen Symbetylos aliquem deum, qui cum alio eundem *βέτυλον* (deorum sedem) habere putatur (cf. *σύνθρονος*), significat.

[3] Etiam in testa quadam in insula Elephantine effossa nomen בֵּיתאֵלנָתָן invenitur (Corpus inscriptionum Semiticarum II, 1. nr. 154, 2 et ib. l. 7 nomen בֵּיתאֵלשֵׁזִב „ *Bêth'êl-schezib* = Bêth'êl servavit).

[4] Nomen Cherem-bêth'êl nomen alicuius dei intellegendum esse ex addito vocabulo אֵלהָא apparet. „Cherem" autem devotionem ad internecionem significat, ut per metonymiam pro eius auctore usurpatum sit itaque atrocitas illius dei describatur. PS 34, 4 nomen hominis Judaei (cuius patri nomen cum *Bêth'êl* coniunctum, avo nomen Aegyptium est) cum Cherem compositum invenitur: Cherem-nathan, filius Bêth'êl-nathan, filii Zacho (= *Τεώς, Ταχώς*). E nomine *Cherem-nathan* (= Cherem dedit) certe perspicimus Cherem aliquod numen divinum intellectum esse. — *H. L. Strack* (Zeitschrift der deutschen morgenländischen Gesellschaft LXV, 1911, 827) Cherem non dei nomen, sed tantum dei signi-

oraculum petit (Sach 7, 2).[1] Item apud Babylonios aetate Persarum hominum nomina cum nomine Bêth'êl composita inveniuntur, velut *Baitil-šar-uṣur* (= Baitil tueatur regem).

Vocabulum בית־אל in lingua Hebraica et Akkadica „domum dei" significat. Ex inscriptionibus cuneiformibus cognovimus eo vocabulo numen quoddam Cananaeorum, cui *Βαίτυλος* Philonis Byblii aequandus esse videtur, appellari.[2] Existimares alteram partem nominum numinum אשמבית־אל et ענתבית־אל ita interpretandam esse, nisi in PS 32, 3 homo Judaeus per ענתיהו iuraret. Cum igitur ענתיהו nomen divinum esse necesse sit eiusque prior pars priori parti nominis ענתבית־אל par sit, putes בית־אל nihil aliud esse nisi aliud nomen dei Jâhû. Quod utut est, prior pars nominum ענתיהו et ענתבית־אל haud dubie gentilis est; nam ענת deam ʿAnâth esse apparet, quam sociam Bêth'êl (Jâhû) esse illo nomine demonstratur.

E. Meyer (Der Papyrusfund von Elephantine. Dokumente einer jüdischen Gemeinde aus der Perserzeit und das älteste erhaltene Buch der Weltliteratur 62. Leipzig 1912) contendit vocabulum Bêth'êl in iis nominibus „dei lapidem" i. e. sacrum lapidem, in quo numen aliquod sedem collocavit, significare atque eum „dei lapidem" in religione populari Israelitarum ad cultum Jahvae pertinuisse. At ea opinio apud Israelitas saeculi sexti non reperitur.

Etsi autem unâ cum Jahve in templo insulae Elephantines duo alia numina divina colebantur, eo Judaei neque dignitatem Jahvae minuere neque eius praecepta violare ullo modo volebant.

Id vel inde apparet, quod in papyris Aramaicis inter Judaica nomina nullum cum ʿAnâth vel 'Aschim compositum invenitur. Ex trecentis fere nominibus virorum et feminarum Judaeorum quarta fere pars cum nomine dei יה (sed nunquam cum יהו) ita composita est, ut nomen in syllabam יה exeat, sicut saepe in nominibus biblicis; semel tantum nomen ab ea syllaba incipit (L 13: יהדרי, Jah-hadari = Jahve est ornatus meus). Inter nomina cum יה composita formas invenimus ut: Ananjah (= Jahve miseretur), Azarjah et Hoschajah (= Jahve est auxilium), Berechjah (= Jahve benedicit), Jeschajah (= Jahve est salus), Malkjah (= Jahve est

---

ficationem esse putat, quacum פַּחַד יִצְחָק Gn 31, 42. 53 aliaque nomina comparat. — Nonnulli opinantur vocabulo הַרְמוֹן (Am 4, 3) nomen dei Cherem inesse. Illo igitur loco feminas voluptarias Samariae ad pedes Cherem se provolvere dici.

[1] *B. Stade* (Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft XXII, 1902, 328) pro בית־אל שראצר legit בֶּלְשַׁרְאֶצֶר atque existimat hoc nomine successorem Serubbabel significari, qui ante templum exaedificatum vel mortuus vel loco motus sit.

[2] Conferas *E. Schrader*, Die Keilinschriften und das Alte Testament[3] 437s. Nomen ibi allatum בֵּיתְאַלְדִּלְנִי (Corpus inscriptionum Semiticarum II, nr. 54) בֵּיתְאַלְדָּלָנִי legendum et nomini דָּלָיָה quod in sacris litteris (I Chr 3, 24. Esr 2, 60. Neh 7, 62; 6, 10) et in papyris Aramaicis (PS 1, 29; 3, 1) invenitur, propinquum est.

rex), Mibtachjah et Miptachjah (= Jahve est fiducia mea), Reujah (= amicus Jahvae, cf. nomen Reʿuêl in vetere testamento), Schemajah (= Jahve audit), Urijjah (= praesidium Jahvae). Haud pauca alia nomina formae contractae nominum cum יה compositorum sunt (velut Nathan) atque etiam ad religionem pertinent. Nomina cum אל composita tantum bis inveniuntur (אלתרן PS 16, 8. אלנורי PS 18. col. 1, 6), cum post exsilium crebra sint.[1] Praeterea nonnulla nomina cum Bêth'êl et Cherem composita sunt. Neque vero ullum nomen Judaeorum invenitur, quod cum alterius dei nomine compositum sit. Ne ʿAnâth quidem dea, quamquam Judaei eam ut sociam Jahvae venerabantur, in nominibus invenitur, nedum dii Canaanaei vel Phoenicii vel alii peregrini. Nonnullis autem Babyloniis, Aegyptiis, Persicis nominibus Judaeorum, quorum pars peregrinos deos (ut Nebo vel Chnûm) continet, de religione eorum, qui ea ferebant, nihil demonstrari posse inde efficitur, quod ii aut proselyti sunt, aut si ea nomina a Judaeis recepta sunt, non magis putaverunt se iis peregrinam religionem profiteri quam Judaei nostrae aetatis, si liberis suis Christiana nomina imponunt. Atque ne Christiani quidem eius modi nomina (ut Demetrium, Isidorum, Apollinem), sibi indere veriti sunt.[2]

Viri docti inter se vehementer dissentiunt, quid nomina cum dei alicuius nomine composita in historia religionis valeant. Nonnulli existimant tali nomine demonstrari aliquando a maioribus eius, cui tale nomen est, aliquem deum eius nominis cultum esse. Quare v. c. e nomine Bêth'êl-nathan inde quidem colligendum non esse cui id nomen erat, eum non cultorem Jahvae fuisse, sed tantum ab eius maioribus aliquando deum Bêth'êl sive sub imagine lapidis sive sub alia imagine cultum esse.

Praeterea respiciendum est illud tributum, de quo in PS 18 agitur, „pro deo Jâhû" (ליהו אלהא) conferri. Quodsi pecunia pro Jâhû collecta non ei soli, sed etiam duobus aliis numinibus divinis attributum est, id tantum inde explicari potest, quod ea cum Jâhû arte coniuncta erant idque ita, ut trias essent, quae forma

---

[1] Nomen יהוּ cum אל mutatum ad religionem pertinuisse inde perspicimus, quod Pharao Necho II (610—594 a. Ch. n.), cum ei parti Judaeorum, qui antiquam religionem amplectebantur, faveret, Eljakim nomen filii regis Josia in nomen Jojakim vertit (II Rg 23, 34 = II Chr 36, 4).

[2] Nomina, quae in testis inscripta inveniuntur, variae originis sunt, partim Israeliticae, partim Phoeniciae, partim Aegyptiae. Aegyptios autem in iis testis nomina scripturâ et linguâ Semitarum (בר vel בן) scripsisse inde explicatur, quod ii Semitae fuisse existimandi sunt, qui diutius in Aegypto commorati nomina Aegyptia acceperunt.

cultus in religione Aegyptia illius aetatis usitata erat.[1] Sunt numina Jâhû inferiora atque in eius templo habitant ut ea numina, quorum aras rex Josia e templo Hierosolymitano amovit.

Plurimi viri docti nominibus Jâhû, ʿAnâth-bêth'êl, 'Aschim-bêth'êl numina divina significari existimant. *J. N. Epstein* autem (Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft XXXII, 1912, 139—145) ea nomina homines, qui tributum solvant, significare putat; loco PS 18. col. 7, 1—6 haec dici: Jedonjah tributum sacrum (duos siclos) pro se et pro tribus aliis (Jâhû, 'Aschim-bêth'êl, ʿAnâth-bêth'êl) pependisse. Quos tres posteriores, quo tempore tributum sacrum penderetur, abfuisse, Jedonjah autem tributum suum dedisse. Neque Jâhû hoc loco nomen dei esse, quoniam id in papyris nunquam sine additamento אלהא vel אלה שמיא vel מרא שמיא inveniatur, sed nomen hominis, quod et aliis locis papyrorum occurrat, velut PS 43, 2. At titulus אלהא, cum iam in praescriptione pone nomen יהו positus est, hîc omitti potuit. Neque Jâhû locis a J. N. Epstein allatis nomen hominis esse pro certo constitui potest. Neque quod Jâhû in praescriptione solus esse dicitur, cui tributum sacrum debeatur, col. 7 4—6 autem unâ cum 'Aschim-bêth'êl et ʿAnâth-bêth'êl nominatur, idcirco nomen Jâhû col. 7, 4 nomen dei esse non potest. Nam Jâhû ut verus ac proprius deus templi in praescriptione *solus* is esse dici potuit, cui tributum sacrum deberetur. Templum quoque Hierosolymitanum domus Jahvae mansit, etsi ad tempus symbolum Astartes ibi positum erat.[2] — Nomen quoque Cherem-bêth'êl (PS 27, 7) hominis nomen esse arbitratur. In qua papyro Malkijah ab homine ignoto accusatur, quod, cum in domum suam irrepsisset, coniugem suam violaverit et aliqua bona surripuerit. Sed iudices Malkijah absolvisse videntur, ei autem mandaverunt, ut per Cherem-bêth'êl iuraret se innocentem esse.[3] Contra J. N. Epstein contendit hîc de iureiurando per Cherem-bêth'êl dato propterea sermonem esse non posse, quod non formula loquendi ימא ב־ usurpata sit. Verba קרא על = Hebr. קרא אל nihil aliud significare nisi „clamare aliquid ante aliquem, ut hic audiat." Ad hoc numen divinum nomine Cherem-bêth'êl ignotum esse, qua re adductus E. Sachau (Aramäische Papyrus und Ostraka aus Elefantine XXIV et 83) nomen in duas partes (חרם ביתאל) diviserit idque „sacrum (dei) Bethel" valere dixerit. Cherem-bêth'êl igitur nomen hominis esse et vocabulum appositum אלהא hîc „principem, dominatorem", fortasse „ethnarcham, sacerdotem maximum" significare, quoniam vocabula quoque אלים et אלהים in sacris litteris interdum „principem" vel „iudicem" significent. Cherem-bêth'êl autem hîc deum appellatum esse, quia in Aegypto reges ut dii culti atque dii appellati sint. At quod J. N. Epstein inde iudicat etiam iudicem Judaicum urbis Aegyptiae deum appellatum esse, minime probandum est.[4] Neque magis constat hîc de iureiurando

[1] *H. Grimme*, Die Jahotriade von Elephantine (Orientalistische Literaturzeitung XV, 1912, 11—17). — *W. Staerk* (Alte und neue aramäische Papyri 13) ea numina revelationes dei caeli Jâhû („Teiloffenbarungen des Himmelsgottes Jahu") intellegenda esse putat, quod tamen omni sententia caret.

[2] *E. König* in Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft XXXV, 1915, 113—115.

[3] Morem, ex quo ei, qui in suscipione erat, licebat iureiurando se purgare, non solum in vetere testamento (Ex 22, 6s. 9s.), sed iam in codice Ḫammurapi (§ 103. 106. 120. 131. 248. 266) invenimus.

[4] *E. König* in Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft XXXV, 1915, 117.

propterea sermonem esse non posse, quod non verbum ימא usurpatum sit. Etiamsi קרא על valet „aliquid ante aliquem clamare, ut hic audiat", intellegendum est coram Cherem-bêth'êl aliquid affirmatum esse, ut hic audiat.

H. Anneler (Zur Geschichte der Juden von Elephantine 87. Bern 1912) rursus dicit nomina ʿAnâth-bêth'êl et 'Aschim-bêth'êl illa quidem, ut nomen Jâhû, numina divina significare, quae tamen non a Judaeis, sed a peregrinis in exercitu Judaico stipendia facientibus culta sint. Quod recte se habere potest, quamquam inde, quod in PS 18 nomina hominum, quae non origine Judaica sunt, afferuntur, non efficitur homines iis nominibus praeditos peregrinos fuisse.

Sunt quoque, qui dixerint nomen ʿAnâth-Jâhû non pro nomine dei, sed hominis habendum esse. At e nomine ענתיהו cum vocabulo מסגרא coniuncto (PS 32, 3) apparet ʿAnâth-Jâhû tantum numen divinum significare posse.

Ceterum utcumque de omnibus iis numinibus iudicatur, hoc quidem constat illos Judaeos sibi consc os non fuisse se primum decalogi praeceptum violare. Jahvae eorum templum dicatum est, Jahvae sacra fiunt. Quod autem alia quoque numina esse credebant, id non mireris. Nam quod vulgo observatur in rebus secundis facile falsos deos in animos hominum irrepere solere, id illis quoque Judaeis obvenit. Cum vero res adversae accidissent, cum templum dirutum esset, ad Jahven solum confugerunt, ab eo solo auxilium speraverunt.

Quod Jeremia c. 44 Judaeis, qui Gedaljah praefecto occiso ex Palaestina in Aegyptum fugerant, cultum deorum alienorum, imprimis cultum „reginae caeli" crimini dat, dubium est, num Judaeos quoque in Elephantine-Syene commorantes respiciat et num dea ʿAnâth „reginae caeli" aequanda sit (conferas cognomina Aegyptia deae ʿAnâth: „domina caeli et terrae, mater et domina deorum, filia solis"). Neque affirmari potest Judaeos illos simulacra deorum habuisse. Respiciendum autem est ex ruderibus domorum, ubi pars papyrorum inventa est, complura simulacra effossa esse, quibus fortasse dii finguntur. Nam quamquam non constat ea simulacra Judaeorum ipsorum fuisse ab iisque culta esse, tamen fortasse ea pro penatibus (Teraphim) haberi possunt.

V

Sacrarium Judaeorum in insula Elephantine exstructum in papyris Aramaicis ibi inventis אגורא די יהה אלה = *'êgora dei jhh* (E 14) sive אגורא די יהו אלהא = *'êgora dei Jâhû* (J 6) appellatur. In Targumim אגורא est translatio vocabuli Hebraici מִזְבֵּחַ (= altare), velut Jdc 6, 25. 28. 31s. 1 Rg 13, 1s. Jes 17, 8., aut vocabuli Hebraici גֵּב (= locus editus, ubi ara stabat), velut Ez 16, 24. 31., et semper deorum fictorum aram significat. Doctores enim Judaeorum אגורא

cum vocabulo אגרא, אגנא (= collis lapidum, acervus lapidum) aequaverunt, quo Targum quoque Jonathanis ad Hos 12, 11 spectare videtur (אגוריהון אסגיאו כיגרין = aras suas multitudine aequaverunt acervis lapidum).[1] Quamquam אגורא longe aliud vocabulum est atque אגר. Plerique virorum doctorum vocabulum אגורא e lingua Akkadica receptum esse existimant = *êkurru* i. e. templum, sacrarium (a Sumerico *ê* = bîtu, domus, et *kur* = schadû, altum esse [etiam = rabbû, magnus?] cf. vocabulum Mandaeum *êkûrâ* = sacrarium dei ficti).[2] In papyris Aramaicis saepius vocabulum quoque אגר, אגרא scriptum legitur, quod tamen non aedificium ipsum, sed aedificium adstructum significat et cum Syrio אגרא (= tectum) et Akkadico *igaru* (= paries domus, latus navis) vel *agurru* (= saepes, pavimentum) cohaeret. At אגר in illis papyris secundum contextum rerum non idem vel simile declarat atque אגורא. Ceterum אגורא etiam cum vocabulo Graeco *ἀγορά* aequari potest, si ad linguam solam spectatur. At primum non est verisimile iam quinto a. Ch. n. saeculo in linguam Aramaicam ullum vocabulum Graecum receptum fuisse; tum *ἀγορά* non aedificium, sed locum patentem maioris amplitudinis significat. Id sacrarium Judaeorum autem PS 3, 3—4 diserte בית מדבחא די אלה שמיא, *domus altaris dei caeli* vocatur.

Ex papyris ab A. H. Sayce et A. E. Cowley editis satis diiudicari non potest, utrum illa „domus altaris" aedes sacra (*ναός*) an tantum ara sub divo intra spatium saeptum posita (*τέμενος*) fuerit. Eam autem re vera aedem cum altari fuisse ex PS 1—3 apparet. In iis quoque tribus papyris sacrarium illud quidem *'êgora* appellatur, velut P 1, 9. 14. 22. 23. 27: אגורא דך *'êgora illa*; P 1, 6. 24s; 2, 24: אגורא די יהו אלהא די ביב בירתא *'êgora dei Jâhû in loco munito Jêb*; P 1, 7s. 13: אגורא דך ביב בירתא *'êgora illa in loco munito Jêb*[3]. Sed eo vocabulo templa quoque deorum Aegyptiorum significantur (PS 1, 14: אגורי אלהי מצרין). Ceterum illud sacrarium Judaeorum collegio sacerdotum, cui Jedonjah praeerat (PS 1, 1: ידניה וכנותה כהניא די ביב בירתא, *Jedonjah eiusque socii, sacerdotes in loco munîto Jêb*), prae-

[1] Biblia polyglotta. Edidit *Brianus Waltonus*. III, Hosee, p. 22. Londini 1657.

[2] *H. Zimmern*, Akkadische Fremdwörter als Beweis für babylonischen Kultureinfluß?[2] 68. Leipzig 1917. — Quare אֲגוּרָא legendum est. Alii אֲגִנָּא (*W. Staerk*, Aramäische Urkunden zur Geschichte des Judentums 5—8) vel אֲגֻנָּא (*E. König*, Hebräisches und aramäisches Wörterbuch zum Alten Testament 561a. Leipzig 1910) legunt.

[3] בירתא = locus munitus, non = arx, castellum.

ditum erat.[1] Altare dei Jâhû (מדבחא די יהו אלהא) in eo sacrario erectum PS 1, 26; 2, 24 et sacrificia in eo altari oblata PS 1, 21. 25. 28; 2, 24; 3, 9 commemorantur. In illo sacrario praeter altare cum alia cultus instrumenta tum aureae et argenteae paterae exstabant (PS 1, 12). Habebat columnas lapideas, quinque magnas portas e saxis quadratis,[2] quarum valvae cardinibus aeneis vertebantur, tectum e ligno cedrino (PS 1, 9—11), quod haud dubie a portibus Syriis in Aegyptum et flumine Nilo in urbem Syene subvehebatur.[3] Quamquam ex iis, quae de sacrario deleto memoriae prodita sunt (PS 1, 8—13; 2, 7—11), parum cognoscere possumus, quale et quantum fuerit, tamen ex iis apparet sacrarium opus magnificum fuisse. Atque cum et templum Hierosolymitanum et templum ab Onia aedificatum aedem sacram haberet, arbitreris sacrarium quoque in insula Elephantine situm ita exstructum esse, ut *ναόν* et *τέμενος* habuerit.

Qui putant illud sacrarium cum altari non ut ibi sacra, sed preces fierent, aedificatum esse, repudiandi sunt. *Προσευχὴ Ἰουδαίων* in urbe Tebtynis, in nomo Arsinoe sita, cuius in papyro quadam exeunte secundo a. Ch. n. saeculo conscripta mentio fit (*E. Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi III⁴, 45. Leipzig 1909), tale aedificium ad precandum erectum fuisse videtur. Illud autem sacrarium Judaeorum ad sacra facienda aedificatum erat, id quod ex PS 1, 21s. 25. 28; 3, 9 apparet, ubi plane dicitur in eo sacrificia et cruenta et incruenta oblata esse.

---

[1] Qui Jedonjah unus ex iis, qui in papyris H (420 a. Ch. n.), J (417 a. Ch. n.), K (411 a. Ch. n.) eo nomine appellantur, esse videtur: Jedonjah bar Aschor (H 3. 8. 11. 20), Jedonjah bar Hoschea (J 2. 9. 12. 17. 20), Jedonjah bar Nathan (J 3, 8. 21. K 2. 3. 6. 15. 17), Jedonjah bar Meschullam (J 18). Primus autem et tertius Jedonjah iidem sunt, quod Aschor Aegyptium, Nathan Judaicum nomen patris est. Cum porro filium Aegyptii cuiusdam collegio sacerdotum Judaicorum praefectum esse existimari vix possit, Jedonjah, qui in PS 1 nominatur, vel illum Jedonjah bar Hoschea vel Jedonjah bar Meschullam esse verisimile est. Qui autem ei rei vim quandam tribuit, quod neque Jedonjah bar Aschor (Nathan) neque Jedonjah bar Hoschea neque Jedonjah bar Meschullam nomine „sacerdotis" ornatur, negabit quemquam eorum Jedonjah esse, qui in PS 1 nominatur (*N. Peters*, Die jüdische Gemeinde von Elephantine-Syene und ihr Tempel 4s.). Ceterum sacerdotes illi non genere Levitico fuerunt. Certe omne talis generis vestigium deest.

[2] Templis Aegyptiis tantum unus aditus, certe unus maximus aditus erat.

[3] Iam antiquissimis temporibus lignum cedrinum in aedificando magni existimatum est. Gudea, princeps urbis Schirpurla sive Lagasch (= *Tello*, melius *Tell-Lô*), e monte Amano (*Am-a-num*) se cedros accipere dicit. Usque ad octavum saeculum Amanus mons cedrorum (*šad erini*) nominatur et omnes fere reges Assyrii se inde lignum cedrinum accepisse dicunt. Sed ab aetate regis Tiglat-Pileser III (= Phul, 745—727 a. Ch. n.) lignum cedrinum e Libano apportatum est indeque etiam Judaei insulae Elephantines id subvehendum curasse videntur. Conferas *E. Schrader*, Die Keilinschriften und das Alte Testament³ 190.

Illud sacrarium quantum temporis exstiterit, reperiri non potest. In epistula ad Bagohi, Persarum in Judaea praefectum, missa Judaei in insula Elephantine habitantes dicunt iam aetate regum Aegypti patres suos illud templum in loco munito Jêb aedificasse; Cambysen, cum in Aegyptum invasisset (anno 525), illud templum invenisse; templa Aegyptia omnia diruta, illud autem templum a nullo violatum esse (PS 1, 13s.).[1] PS 3, 3—5 quoque dicitur „domum altaris dei caeli in loco munito Jêb" iam „ante Cambysen" aedificatam esse. Templum igitur ante annum a. Ch. n. 525 exstructum esse constat, sed quanto ante, quaeritur. Atque nonnulli quidem putant templum ab incolis regni decem tribuum, qui in Aegyptum fugerint, aedificatum esse. Quod quidem papyris Sachau 1 et 3 non refutatur; nam papyro 1, 14 nihil dicitur nisi Persas Judaeorum templum incolume reliquisse, cum Aegyptiorum templa diruerint; neque papyro 3, 5 aliud quidquam dicitur nisi reges Aegyptios, qui ante Cambysen fuerint, permisisse, ut templum aedificaretur. At si templum paulo post interitum regni decem tribuum exstructum esset, dubium non est, quin id in illis papyris praedicatum esset.

Quae cum ita sint, alii templum paulo post annum a. Ch. n. 586 aedificatum esse existimant. Fortasse enim templo Hierosolymitano eo anno diruto Judaei in Aegypto commorantes impulsi sunt, ut sibi ipsi templum aedificarent.

Velut *H. Anneler* (Zur Geschichte der Juden von Elephantine 122) putat id templum paulo post annum 568 aedificatum esse atque Pharaonem Amasis permisisse, ut aedificaretur. Quod haud dubie factum esse potest. At haec opinio alteri eius opinioni repugnat coloniam illam militum Judaicorum circa annum 586 (p. 116 et postea: inter annos 585 et 570) ortam esse; neque enim mercennarii illi pauperes post quindecim fere annos templum magnificum aedificare poterant.

Sunt, qui aedificationem illius templi in octavum a. Ch. n. saeculum, in tempora prophetae Jesaia transferre conati sint. Jes c. 19 enim nonnulli loci insunt, quos, si ponas eos ad templum insulae Elephantines pertinere, statim intellegas, cum aliter difficillimi sint explicatu.

[1] Cambyses (כנבוזי) igitur Judaeis aeque favebat atque Cyrus eius pater, qui iis permisit, ut in patriam redirent et templum Hierosolymitanum restituerent. Religioni autem Aegyptiorum non favebat. Diodorus quoque Siculus (Bibl. hist. 1, 46, 4) Cambysen templa Aegyptiorum vastasse dicit. Quod autem Jedonjah eiusque socii memoriae tradunt Cambysen omnia templa Aegyptia de-

Propheta c. 19 dicit Aegyptios variis calamitatibus oppressos atque a Jahve ea mala sibi immissa intellegentes a deo Israelitarum auxilium petituros (v. 16s.); impetrato autem auxilio (cf. v. 20) Aegyptios Jahven tamquam potentissimum vindicem et liberatorem suum agnituros et culturos: „Illo die (i. e. circa illud tempus) erant quinque urbes in terra Aegypti linguâ Canaanaeâ loquentes et per Jahven (deum) exercituum iurantes; urbs servata (עִיר הַהֶרֶס)[1] vocabitur una (i. e. una ex iis quinque urbibus servabitur). Illo die Jahvae erit ara in medio terrae Aegypti, monumentum in finibus eius Jahvae" erit dicatum (v. 18s.). Quo loco cum de Jahvae in Aegypto sacrario agatur, certe magni sit momenti, si ibi Judaeorum in insula Elephantine templum aliquo modo significetur. Et existimat *A. Jirku* (Die fünf Städte bei Jes 19, 18 und die fünf Tore des Jahu-Tempels zu Elephantine [Orientalistische Literaturzeitung XV, 1912, 247s.], Die jüdische Gemeinde von Elephantine und ihre Beziehungen zum Alten Testament 28 s. [Biblische Zeit- und Streitfragen VII, 11] Gr. Lichterfelde-Berlin 1912) id significari. Prophetam enim v. 18 de quinque urbibus (חָמֵשׁ עָרִים) loqui. Atqui in epistula a Jedonjah eiusque sociis ad praefectum Bagohi missa dici templum insulae Elephantines quinque portas habuisse. Prophetam autem de eo templo cognovisse et numerum quinarium in quinque urbes in Aegypto sitas transtulisse existimari posse. Sed et hoc factum esse posse, ut in textu Hebraico initio non quinque urbes, sed quinque portae commemorarentur. Nam qui textus Hebraicos descripserint, saepe e duobus paribus litteris unam omisisse. Quod loco quoque allato factum esse posse. Si igitur ponas secundum litteram ש vocabuli חמש alteram litteram ש fuisse, quae a librario omissa sit, חָמֵשׁ שְׁעָרִים (= quinque portae) pro חמש ערים legendum esse. Atque eo facilius accidisse posse, ut eo loco una littera ש omitteretur, quod ea re textus non, ut aliis locis, sed tantum eius sensus mutatus sit. Jes 19, 18a igitur initio de quinque portis sermonem fuisse, ut propheta templum insulae Elephantines quinque portis instructum commemoret.[2] Quod autem v. 19b de Jahvae in medio terrae Aegypti ara et de monumento in finibus eius dicato loquatur, et id in situm insulae Elephantines quadrare, si scriptor, qui in Palaestina moretur, eam describat. Vocabulis autem „arae et monumenti" unum idemque sacrarium significari membrorum in vetere testamento parallelismo demonstrari. Quae cum ita sint, sa-

---

levisse (PS I, 14), id aeque in maius auctum est atque quod alii rerum scriptores antiqui aedificia Aegyptia omnis generis a Cambyse deleta esse narrant. Illud quidem constat Cambysen saepe ostentasse se cultum Aegyptium contemnere; nam corpus Pharaonis Amasis e sepulcro traxit tractumque polluit, sua manu taurum sacrum interfecit, religionem Aegyptiam furenter persecutus est. Neque dubium esse videtur, quin ei ut studioso doctrinae Zarathustrae Judaeorum religio magis placuerit quam Aegyptiorum, unde intellegitur eum sacrario Judaeorum pepercisse, Aegyptiorum autem templa delevisse. — Conferas *J. Prášek*, Kambyses (Der alte Orient XIV, 2) Leipzig 1913.

[1] Alii legunt: „Urbs eversionis (עיר ההרס) vocabitur una" i. e. diruetur ex iis urbibus una. Ceterum haec verba haud dubie postea addita sunt.

[2] Vocabulum שער aliis quoque locis eandem vim habere ex verbis Jes 14, 31 perspicimus: „Ulula, porta (הֵילִילִי שָׁעַר)! Clama urbs! Dissolutum est, o Palaestina! totum tuum." Ceterum hîc שער generis feminini est, id quod in lectionem quoque loci Jes 19, 18a ab A. Jirku propositam cadit. Fortasse etiam Neh 3, 16 שער est nomen generis feminini, praeterea in Pentateuchi codice Samaritano Dt 15, 7; 16, 5; 17, 2; 18, 6; 23, 16, ubi in codice masorethico est generis masculini.

crarium Judaeorum in Elephantine-Syene habitantium iam octavo a. Ch. n. saeculo fuisse. Item effici Jes c. 19 a Jesaia ipso profectum esse. Nam quod maxime contra fidem eius capitis dictum sit aetate prophetae Jesaia sacrarium Jahvae in Aegypto fuisse non posse, id iam nullius esse momenti.

„Sacerdotibus dei Chnûm in loco munito Jêb" auctoribus (PS 1, 5) anno a. Ch. n. 410, Arscham[1] satrapa Persarum, qui ad domum regiam profectus erat, absente, templum a militibus Persarum (duce Nephajan, filio Waidrang praefecti, qui vice Arscham satrapae functus esse videtur) spoliatum ac funditus deletum est. Cur autem sacerdotes dei Chnûm auctores templi diruendi fuerint, non cognoscimus. Fortasse aemulatione cultus Jahvae, quem haud pauci Aegyptii amplexi erant, adducti; fortasse propterea quoque, quod Judaei ea animalia immolabant, quae dei Chnûm sacra erant.

Templo diruto Judaei maximam operam dederunt, ut veniam eius restituendi impetrarent. Atque ex PS 1, 18s. (= PS 2, 16s.) apparet iam paulo post eius excidium id egisse. Jedonjah enim eiusque socii tum per litteras Bagohi praefectum et „Jehochanan summum sacerdotem eiusque socios, sacerdotes Hierosolymitanos, et Ostan i. e. Anani[2] fratrem eius principesque Judaeorum" adierunt, non modo igitur Persarum in Judaea praefectum, sed etiam summos sacerdotes et magistratus senatus Hierosolymitani[3]. Anani-Ostan enim vix frater germanus, sed collega Jehochanan pontificis, praeses laicorum senatus Hierosolymitani habendus est[4]. Ad quas epistulas responsum non est. Atque Jehochanan et senatum Hierosolymitanum non respondisse facile intellegitur. Nam postquam rex Josia anno 621 cultum reformavit, necesse erat Judaeos

---

[1] Arscham (ארשם, *Ἀρσάμης*, Pers. *Arschâma*) fortasse ille *Ἀρξάνης* est, qui tum, cum Darius II Nothus regnare coepit, satrapa Aegypti erat (*Ktesias*, De rebus Persicis n. 46). Atque satrapa totius Aegypti, non tantum Aegypti superioris fuisse videtur. Cum nomen Arscham in domo regia Achaemenidarum usitatum esset, fortasse vir regii generis existimandus est. Postea Arscham nomen vulgare erat. Velut miles quidam conducticius aetate Ptolemaeorum *Ἄρπαλος ὁ Ἀρσάμου* vocatur (*P. M. Meyer*, Das Heerwesen der Ptolemäer und Römer in Ägypten 13. A. 45).

[2] Anani (ענני, quod nomen ex עֲנָנְיָה contractum est) nomen Persicum Ostan (אוסתן, *Ὀστάνης*) gerebat.

[3] Inde autem, quod Judaei Aegyptii sacerdotes et magistratus Hierosolymitanos adierunt, perspicimus, quam arte iam tum Judaei inter se sociati fuerint.

[4] I Chr. 3, 24 Jochanan et Anani filii Eljoenai esse dicuntur, qui cum Jehochanan et Anani, quorum in papyris mentio fit, aequandi non sunt. Illi posteri David sunt, cum pontifex Jehochanan ab Aaron ortus sit.

Hierosolymitanos nefas esse existimare praeter templum Hierosolymitanum usquam alibi sacrarium Jahvae esse, neque dubium est, quin iidem libenter sacrarium illud Elephantinense deletum esse cognoverint. Bagohi autem propterea non respondisse videtur, quod Judaei rogationem dono pecuniae parum largo adiuverant. Quare alteri rogationi (PS 1 = PS 2) maiorem largitionem addiderunt (PS 1, 28s.). Praeterea tum etiam ad Delajah et Schelemjah, filios Sanaballat, praefecti Samariae, epistulam miserunt (PS 1, 29; 2, 28; 3, 1), ut Bagohi praefectum pro se deprecarentur. Nonnulli Judaeos alteram epistulam propterea ad praefectum Judaeae atque ad filios praefecti Samariae misisse putant, quod eorum maiores non solum ex Judaea, sed etiam ex Samaria profecti sunt et commendatione duorum praefectorum Persarum quod petebant, se impetraturos sperabant. Sed ne hac quidem rogatione, quod volebant, impetrarunt. Nam ut templum restitueretur, illud quidem permissum est, sed quod ad sacra attinet, unum hoc permissum est, ut sacrificia incruenta offerrent (PS 3, 8—11).[1]

Haud pauci existimant propterea permissum non esse, ut sacrificia cruenta offerrentur, quod Judaei imprimis oves et arietes immolabant, quae animalia deo Chnûm, qui in insula Elephantine colebatur, dicata erant. At iudicandum non est animalia immolare propterea iam non licuisse, quod Aegyptii iis offendebantur. Nam etsi animalibus parcebant et nonnulla animalia (velut ibis, falco, felis, vacca) interfici morte propositâ vetita erant, tamen oves et boves, quos Israelitae immolabant, omnibus temporibus in Aegypto mactati sunt. Quod et Herodotus (Hist. 2, 37—42) et monumenta Aegyptia testantur. Solos incolas nomi Thebaici nullas oves mactasse, quod eae Hammonis sacrae erant, sed capras immolasse Herodotus dicit, cum incolae nomi Mendesici, quorum deus hircus erat, capris parcerent et oves mactarent. Etsi autem iudicemus (quod tamen demonstrari non potest) incolas insulae Elephantines oves non mactasse, quod eorum deus Chnûm formâ arietis erat, inde nihil aliud efficiatur nisi Judaeos oves, non omnino animalia immolare vetitos fuisse. Non quod animalia immolabantur, sed ritum eorum sacrificiorum et universum cultum dei peregrini Aegyptii detestabantur ideoque templum Judaicum deleverunt. Fortasse Persae sacrificia cruenta offerre propterea non permittebant, quod secundum doctrinam Zarathustrae corporibus animalium concremandis sanctissimum elementum, ignis, pol-

[1] Complures viri docti existimant papyrum S 5 post papyrum S 3 confectam esse câque peti, ut vetitum, quo animalia immolari prohibeatur, tollatur. Alii putant Bagohi rogationi Judaeorum, quae in papyro S 1 expressa sit, favisse, sed negasse se permittere posse, ut animalia immolarentur. Quam ob rem Judaeos (Jedonjah et quattuor eius socios, quorum nomina afferuntur) in PS 5 declarasse, si liceret templum aedificari, fore, ut iam non animalia, sed tantum sacrificia incruenta offerrentur, quod dixisse videntur spe adducti se postea impetraturos, ut animalia quoque immolarent. Quo facto Bagohi id decrevisse, quod in PS 3 scriptum legatur.

luatur.[1] Etsi nusquam alibi memoriae proditur Achaemenidas (ut postea Sassanidas) se alienis cultibus interposuisse, tamen id fieri poterat, quoniam Cambyses quoque se religionem Aegyptiorum contemnere palam ostendit.

Nonnulli putant e victimis non commemoratis non esse colligendum eas vetitas esse, quod animi Aegyptiorum animalibus sacris mactatis offensi essent. Nam cum victimae ad cultum a Judaeis exercitatum vehementer pertinerent, quod earum mentio non fiat, non ita accipiendum esse, ut eae vetitae fuerint. Quae si vetitae essent, futurum fuisse, ut id plane diceretur.

Num vero templum restitutum sit, non accepimus. Vix autem erramus, si id negamus; nam iam anno 405 Persarum in Aegypto imperium exstinctum est et sequentibus sexaginta annis rursus indigenae Pharaones regnaverunt. Quo tempore cum condicio Judaeorum, quippe quos nemo a sacerdotibus dei Chnûm defenderet, profecto prospera non esset, de templo restituendo cogitari non poterat. Unde id quoque explicatur posteros de eo templo memoriae nihil prodidisse. In papyro Sachau 15 epistula male servata exstat, qua de nova persecutione coloniae Judaeorum agitur. In qua persecutione nonnullae feminae captae, nonnulli viri (inter quos Jedonjah bar Gemarjah) interfecti eorumque opes raptae sunt. Ex ea epistula collectum est Judaeos templum restituere coepisse, ea autem re iram sacerdotum dei Chnûm accendisse, ita ut hi denuo motum concitarent, qui fortasse cum eo cohaeret, quo Amyrtaeus in Aegypto regnum occupavit (anno 405)[2]. Neque vero totam Judaeorum coloniam tum ab Aegyptiis trucidatam esse[3] dici potest; nam habemus syngraphum, quam Menachem homo Judaeus, filius Schallum, „Aramaeus in loco munito Jêb, e parte exercitus Nabukudurri" feminae Judaeae nomine Selua quinto anno Amyrtaei (400 a. Ch. n.)[4] conscripsit (PS. 35).[5]

---

[1] In cultu Persarum cocta frusta carnis herbis imponebantur, deinde cum magus preces cecinerat, adimebantur et comedebantur (Herod. Hist. 1, 132. Strab. Geogr. 16, 3, 13—15).

[2] Si Jedonjah bar Gemarjah (lin. 5) idem est atque is Jedonjah, qui PS 1, 1 commemoratur, necesse est papyrum 15 post annum 407 scriptam esse et Jedonjah in persecutione Judaeorum post annum 407 orta perisse.

[3] Id quod *F. Stähelin* (Israel in Ägypten nach neugefundenen Urkunden 23) opinatur.

[4] Nomen regis Amyrtaei adhuc nisi e Manethonis indice regum notum non fuit et hîc primum in litterārum monumento ipsius aetate conscripto invenitur. Secundum Manethonem ex urbe Sais, cuius ruinae apud vicum Sâ el-Haggar sitae sunt, oriundus et unus atque solus rex duodetricesimae domus regnatricis fuit.

[5] E Philonis verbis, quibus Judaeos sua aetate in Aegypto *ἀπὸ τοῦ πρὸς Λιβύην καταβαθμοῦ μέχρι τῶν ὁρίων Αἰθοπίας* habitare dicit (In Flaccum § 6), effici non potest tum in insula Elephantine coloniam Judaeorum fuisse.

Hîc ad nonnullas graves quaestiones respondendum est: primum de quo Dario in PS 1 agatur; deinde quis Jehochanan pontifex, quis Sanaballat sit; denique quî templum Jahvae in insula Elephantine cum lege de uno loco cultus Jahvae coniungi possit.

Papyrus Sachau prima est exemplum epistulae, quam Judaei in insula Elephantine habitantes ad *Bagohi* (בגוהי)[1], regis Persarum in Judaea praefectum (פחת יהוד), m'serunt (lin. 1). Cum lin. 29 *Sanaballat* (סנאבלט), praefectus Samariae (פחת שמרין), commemoretur et epistula anno septimo decimo regis Darii scripta sit, manifestum est de provinciis Judaea et Samaria agi, quae post exsilium a praefectis Persarum administrabantur. Ex lin. 18 cognoscimus *Jehochanan* (יהוחנן) pontificem Bagohi aequalem fuisse. Neh 12, 22 pontifex eius nominis (contractâ formâ) Jochanan (יוחנן) commemoratur, qui filius Jojadae et nepos Eljaschib (aetate Nehemiae summum sacerdotium obtinentis) fuit; filius autem Jochanan eodem loco Jaddua dicitur. Quae omnia cadunt in pontificem *Ἰωάννην* (forma Graeca nominis יהוחנן vel יוחנן), cuius Josephus Ant. Jud. 11, 7. 1 mentionem facit. Josephum agnoscere pontificum in libro Nehemiae seriem recte se habere inde apparet, quod successores pontificis Jaddua (Jaddus) addit, cum Jaddua in libro Nehemiae ultimus pontifex nominetur. Cum igitur inter omnes pontifices, qui a diebus Nehemiae usque ad dies Josephi munere functi sunt, *unus* Joannes inveniatur, pontifex eius nominis, quem Josephus commemorat, idem est ac Jochanan, cuius Neh 12, 22 mentio fit.[2]

In sacris litteris de eo pontifice Joanne (Jochanan) plura non narrantur. Josephus autem loco allato dicit eum Hierosolymis tum munere functum esse, cum Bagoas ibi praefectus erat. Is Bagoas *στρατηγός* Artaxerxis appellatur, et quidem in nonnullis editionibus *στρατηγὸς Ἀρταξέρξου Ὄχου*, in aliis *στρατηγὸς τοῦ ἄλλου Ἀρταξέρξου* (in conversione Latina „alterius Artaxerxis"); sequitur, ut

[1] Nomen בגוהי, quod cum *bâga* (= deus) compositum atque idem est quod *Βαγώας* vel *Βαγώσης* (Jos. Ant. Jud. 11, 7. 1), crebrum erat. Jdth 12, 11. 13. 15; 13, 1. 3; 14, 4 eunuchus Holofernis *Βαγώας* nominatur. Plinius (Hist. nat. 13, 4, 41) memoriae prodit: „ita vocant spadones, qui apud eos (Persas) etiam regnavere." Nomen בגוי (text. masoreth. בִּגְוַי pro בָּגֹי, LXX *Βαγοΐ*, *Βαγουαί*, Vulg. *Beguai*, *Begui*, *Begoai*), quod in vetere testamento (Esr 2, 2. 14; 8, 14. Neh 7, 7. 19; 10, 17) invenitur, ex nonnullorum opinione idem est ac בגוהי.

[2] Apparet Neh 12, 11., ubi Jonathan (יונתן) filius Jojadae et pater Jadduae esse dicitur, mendum librarii exstare.

magistratus (dux?) Artaxerxis II Mnemonis fuerit. Quamquam iam sub finem regni Darii II Nothi (423—405) Joannes pontifex et Bagoas praefectus fuisse possunt, tamen existimes maximam partem eorum munerum in regnum Artaxerxis II Mnemonis (405—358), qui Dario Notho successit, incidisse.[1]

Bagohi igitur et Jehochanan, qui haud dubie is *Βαγώας* et is *Ἰωάννης* sunt, quorum Josephus mentionem facit, aetate vel Artaxerxis II Mnemonis vel Artaxerxis III Ochi Hierosolymis fuisse necesse est. Cum autem aetate quoque regis cuiusdam Darii essent, Darius III Codomannus autem tantum ab anno 336 usque ad annum 330 regnaret (ut de septimo decimo anno regni eius agi non possit), Darius II Nothus et Artaxerxes II Mnemon ii reges sint necesse est, sub quibus Bagohi et Jehochanan muneribus fungebantur. Darius igitur, qui in epistula Judaeorum commemoratur, est *Darius II Nothus*. Annus septimus decimus regni eius secundum Aramaicam temporum rationem a die primo mensis Nisan anni 407 usque ad primum diem eiusdem mensis anni 406 pertinet. Epistula igitur die vicesimo mensis Marcheschvan anni 407/06 scripta est.

Cum eodem tempore etiam commemoratio Sanaballat eiusque filiorum Delajah et Schelemjah congruit[2]. Nam aetate Nehemiae

---

[1] Josephus (Ant. Jud. 11, 7. 1) de contentione quadam Joannis pontificis et Bagoas praefecti agit. Is fratri Joannis nomine Josue, qui et ipse dignitate pontificali esse volebat, vehementer favebat. Quare inter fratres in templo magna contentio orta est, in qua Joannes fratrem occidit. Quo facto Bagoas in templum invasit atque eos, qui impedituri essent, ne id faceret, reppulit, cum diceret se eo, qui fratrem occidisset, puriorem esse. Incolas Hierosolymorum per septem annos magnâ poenâ affecit: pro singulis agnis, qui in templo offerebantur, quinquagenas drachmas solvere debebant.

Hunc Bagoas ab illo Bagoas, qui septuaginta annis post aetate regis Arses (338—336 a. Ch. n.) in aula eius regis vixit, discernendum esse manifestum est. Conferas Diod. Sic. Bibl. hist. 17, 5, 3.

[2] Nomen סנאבלט plerumque ita explicatur, ut „Sin vivum facit" (= *Sin-uballaṭ*) vel „Sin vivum fecit" (= *Sin-uballiṭ*) significet. In papyris Aramaicis nomen recte סנאבלט scribitur (cf. LXX *Σαναβαλλάτ*, Vulg. *Sanaballat*). In textu masorethico littera 'Aleph omissa est. At *P. Rießler* (Tübinger Theologische Quartalschrift XCII, 1910, 1—6) demonstravit primam syllabam eius nominis non cum *Sin*, nomine dei lunae Babyloniorum, coniungendam, sed *San* pronuntiandam esse. *San* autem vocabulis Akkadicis *šanû* (= praefectus provinciae) aut *sangu* sive *šangu* (= sacerdos) respondere. *Sana-uballaṭ* vel *šanga-uballaṭ* (= „secundum [i. e. praefectum provinciae] servet [deus Assur] vivum" vel „sacerdotem servet vivum") appellationem esse, quae magistratibus munus ineuntibus tributa sit. Utra interpretatio praestet, incertum esse. Verisimillimum igitur esse nomen Sanaballat titulum quendam significare. — Delajah et Schelemjah sunt nomina Hebraica, quae alias quoque, imprimis post exsilium, saepius inveniuntur (דְּלָיָה I Chr 3, 24. Esr 2, 60. Neh 6, 10; 7, 62. שְׁלֶמְיָה Jer 37, 3. 13; 38, 1; Esr 10, 39. Neh 3, 30; 13, 13).

alienigena, nomine Sanaballat, praefectus Samariae erat. Nehemia, cum iterum Hierosolyma redisset, aliquem filium pontificis Jojada filiam illius alienigenae Sanaballat uxorem duxisse cognovit; quam ob rem eum in exsilium misit (Neh 13, 28). Duo filii praefecti Sanaballat haud dubie filii eius Sanaballat sunt, qui in libro Nehemiae commemoratur. Si ponimus Nehemiam anno 432 iterum Hierosolyma venisse (anno tricesimo secundo regis Artaxerxis i. e. anno 433 Susa profectus erat), et si Sanaballat, cuius filia paulo ante nupserat, tum aetate florebat, eius filii circa annum 407 iam munere fungi poterant.

In libro Nehemiae Sanaballat saepius commemoratur: 2, 10 iratus esse dicitur, quod Nehemia Hierosolyma advenerit. 2, 19 et 3, 33s. Judaeos moenia urbis aedificaturos illudit. 4, 1ss. cum aliis coniurationem facit contra eos, qui moenia aedificaturi sunt. 6, 1ss. impedire pergit, ne moenia aedificentur. 13, 28 Sanaballat a Nehemia expulsus esse dicitur. Nam etsi textus Hebraicus hoc loco quadam ambiguitate est, tamen ex epistula Judaeorum in insula Elephantine habitantium apparere videtur Sanaballat inter eos, quos Nehemia expulit, fuisse. Ii enim epistulâ Delajah et Schelemjah, filios Sanaballat, adeunt. Nomine igitur Sanaballat regis Persarum in Samaria praefectus esse videtur, re vera autem eius filii munere illo fungebantur, cum ipse terram reliquisset.

Sunt, qui existiment Sanaballat non hominem Judaeum fuisse, postea autem Judaeum factum esse et filiis nomina Judaica, Delajah et Schelemjah, indidisse. Alii existimant Sanaballat genere hominem Judeaum fuisse, qui se postea nomine Babylonio appellaverit. Existimare licet Nehemiam nomen Judaicum eius viri, ut omnem communionem cum eo homine Judaeis inimicissimo repudiaret, consulto silentio praeterisse. Si Delajah prior et Schelemjah posterior filius Sanaballat erant, huic nomen Schelemjah fuisse videtur, quia apud antiquos moris erat primum filium ab avi, alterum a patris nomine appellare.

Quae cum ita sint, quaestio illa soluta est, utrum Nehemia Artaxerxe I Longimano an Artaxerxe II Mnemone regnante Hierosolyma redierit, postquam iam pridem viri docti aliis rationibus adducti posuerunt eum primum anno vicesimo regni Artaxerxis Longimani (465—424) i. e. anno 445/444 Hierosolyma revertisse. Atque cum in PS 1—3 summus sacerdos Jehochanan et Sanaballat eiusque filii commemorentur, opinio eorum, qui Artaxerxen, cuius in libro Nehemiae (et Esr c. 7) mentio fit, non Artaxerxen Longimanum, sed Artaxerxen Mnemona (405—358) intellegunt, comprobari non potest. Nam ex illis papyris apparet Bagohi, praefectum Judaeae, summum sacerdotem Jehochanan, Delajah et Schelemjah, filios Sanaballat, eodem tempore (anno 407) fuisse. Atqui Jehochanan, filius Eljaschib (Neh 12, 23), aequalis Nehemiae (ib. 13, 4) fuit; item Sanaballat eiusque filii aequales Nehemiae fuerunt. Ne-

hemia autem anno vicesimo Artaxerxis Hierosolyma venit (Neh 2, 1. 11). Is igitur non Artaxerxes II Mnemon fuisse potest, quod si ita esset, Nehemiae adventus in annum demum 385/384 incidisset.

Denique quaeritur, quo modo sacrarium Judaeorum in insula Elephantine situm legi illi, quae uno loco Jahven coli iubet (Dt 12, 2—18), conveniat.

Quod incolae regni Israel in exsilium Assyrium deportati in urbe Kannu[1] templum Jahvae exstruxerunt, id ita explicatur, ut eorum de illa lege ratio, cum in urbibus Bethel et Dan sacraria haberent, alia fuerit atque incolarum regni Juda. At quî fieri potuit, ut incolae regni Juda adversus illam legem extra Hierosolyma sacrarium Jahvae exstruerent? Nonnulli coniecerunt illam legem aut post annum 586 (templo Hierosolymitano deleto) iam non valuisse aut eo tempore nondum valuisse. Ex eo, quod in insula Elephantine templum Jahvae erigeretur et Judaei ibi habitantes sacerdotes Hierosolymitanos adirent, ut veniam templi deleti restituendi impetrarent, effici videri tum legem, quae Jahven uno loco coli iubet, nondum veterem fuisse, sed ea demum aetate, qua rex Josia cultum emendaret, datam esse. Quibus haec respondemus: Si quid ex eo, quod extra Hierosolyma aliquo loco sacrarium Jahvae fuit, de lege illa, quae uno loco Jahven coli iubet, colligendum est, dicas eam ne secundo quidem a. Ch. n. saeculo valuisse, quo templum Jahvae Leontopoli in nomo Heliopolitano exstructum est. Quod adhuc nemo dicere ausus est. Atque eo ipso, quod per totum post exsilium tempus etiam a Judaeis extra Palaestinam commorantibus stipes pro templo Hierosolymitano et ad sacra ibi facienda conferebantur, efficitur illam legem omnibus locis valuisse. Cum autem Judaei magis magisque per omnes terras diffunderentur et post exsilium magis religione quam republica coniuncti essent, opinio illa vincere coepit deum omnibus locis adorari posse. Quam opinionem ipsos prophetas probavisse ex Mal 1, 11 perspicimus. Quare ne Onias quidem, filius Oniae III pontificis, templum pro Judaeis in

[1] Kannu (proprie *Kannu'*), ubi templum dei *Au* (= Jahvae) erat, eadem urbs est atque בְּנֵה, quam Ezechiel 27, 23 inter Haran et Eden sitam esse dicit. Nomine Eden regio *Bît-Adini*, quae in inscriptionibus Assyriis commemoratur, appellatur, cuius tamen fines accurate circumscribi non possunt. Haran, urbs ex patriarcharum historia celebris, in ea Mesopotamiae parte sita est, quae inter septentriones et occasum solis spectat. Urbs Kannu, cum in inscriptionibus ad historiam pertinentibus, quae annorum a. Ch. n. 885—812 sunt, non commemoretur, postea condita esse existimanda est.

Aegypto commorantibus exstruere dubitavit. In epistula ad Ptolemaeum VI Philometorem (181—146 a. Ch. n.) missa ad rogationem suam, ut sibi liceret Judaeis Aegyptiis templum aedificare, confirmandam multa illa Judaeorum sacraria affert, quae ut alibi, ita in Aegypto sint; cum autem inde contentiones exsisterent, novo templo Jahvae aedificando se id agere, ut Judaei Aegyptii rursus unâ religionis sede utantur (Jos. Ant. Jud. 13, 3. 1). Unum ex illis sacrariis Jahvae papyris Aramaicis in insula Elephantine inventis cognovimus. Atque si ne pii quidem Judaei et qui legem diligenter observarent, templo Leontopoli aedificato legem, quae uno loco Jahven coli iubet, violatam esse existimabant eiusque templi sacerdotibus perpetuus cum sacerdotibus Hierosolymitanis usus erat, quamquam omnes Judaei tum illa lege tenebantur, Judaeis in insula Elephantine habitantibus crimini dari non potest, quod Jahven in suo templo colebant. Si autem posteriore tempore, quo leges Pentateuchi diligentissime observabantur, templum Jahvae extra Palaestinam erectum quodam modo ab ipsis sacerdotibus Hierosolymitanis agnitum est,[1] existimes id etiam prioribus temporibus factum esse. Et quod Judaei in insula Elephantine commorantes sacerdotes Hierosolymitanos adierunt, ut veniam templi restituendi impetrarent, inde efficitur eos non existimasse illud templum contra legem esse idque iure, quippe cum lex illa Dt 12, 2—18, quae Jahven uno loco coli iubet, in terra Canaan sola valeret (cf. ib. v. 1: „in terra, quam Jahve . . . tibi daturus est"). Fortasse unum hoc dici potest templa Jahvae extra terram Canaan erecta consuetudini sacrorum in gentilium i. e. immundo solo non faciendorum (cf. Jos. Ant. Jud. 13, 3. 2) repugnasse.

VI

De festis religionis semel *pascha* (פסחא) commemoratur (PS, in testa tab. 64, 2. in parte interiore lin. 5), fortasse etiam *festum tabernaculorum* (כסא ib. lin. 3), sed festum azymorum (*Mazzoth*) Judaeis ignotum erat, id quod ex papyro S 6 anno quinto Darii II Nothi i. e. anno a. Ch. n. 419 scripta apparet. Continet

[1] Quamquam ipsi Judaei in Aegypto commorantes cultu Leontopoli exercitato contenti non erant, sed ut ceteri Judaei Hierosolyma proficiscebantur. Eorum quoque sacerdotes, si matrimonium inituri erant, stemma uxorum Hierosolymis examinandum curabant (Jos. CAp. 1, 7). In templo Hierosolymitano munere sacro fungi vetiti erant neque holocausta Leontopoli oblata pro veris holocaustis habebantur (Menachoth 13, 10).

litteras a Chananjah ad Jedonjah[1] missas, quibus Judaei in Elephantine-Syene commorantes a Persarum rege festum Mazzoth a die quarto (quinto?) decimo usque ad diem vicesimum primum mensis Nisan celebrare iubentur (cf. Ex 12, 18; 13, 3—7; 23, 15; Dt 16, 3). Cum probabile non sit Darium Nothum propter festum azymorum celebrandum quotannis edictum proposuisse, existimare licet Judaeos ad id tempus illud festum non celebrasse, fortasse celebrare vetitos esse, regem autem tum Judaeis vel mandasse vel permisisse, ut illud festum celebrarent[2]. Ceterum dubium non est, quin id edictum non modo ad Judaeos in Elephantine-Syene habitantes, sed ad omnes Judaeos regni Persarum pertinuerit.

Quamquam solae reliquiae papyri S 6 ad nos pervenerunt, tamen ex iis dilucide apparet diebus azymorum fas esse quiescere, quibusdam potionibus et fermentato[3] abstinere, ianuis clausis in aedibus commorari. Festum autem azymorum tum demum Hierosolymis institutum esse et iis litteris Judaeis quoque in Aegypto commorantibus praescribi sine iustis causis dicitur. Anno 419 codex sacerdotalis et totus Pentateuchus iam pridem perfecti et iam a Samaritanis quoque recepti erant. Neque omnino constat Chananjah (חנניה), qui eas litteras scripsit, Hierosolymis oriundum esse. Neh 1, 2s. memoriae proditur ad Nehemiam, cum in aula regis Persarum esset, Chanani eius fratrem (חֲנָנִי אֶחָד מֵאַחַי) aliosque Judaeos, ut eum de tristi Judaeorum Hierosolymitanorum condicione certiorem facerent, ex Hierosolymis venisse, et Neh 7, 2s. Nehemiam Chanani fratrem (אָחִי) unum ex duobus praefectis custodum portarum Hierosolymorum fecisse. Cum nomina Chanani et Chananjah unum idemque valeant, complures interpretes Chananjah, qui illam epistulam scripsit, Chanani fratri Nehemiae aequandum esse putant. Atque si respicias inter Nehemiae iter Hierosolyma (anno 445/444) et illam epistulam non plus viginti sex annos intercedere, sane ponas Nehemiâ mortuo Chanani eius fratrem Nehemiae locum in aula regis Persarum obtinuisse atque regis mandato illam epistulam scripsisse. At verba אחר מאחי etiam alium Nehemiae propinquum significare possunt, quia vocabulum אַחִים latius quoque usurpatur, ut saepius propinquos universos significet. Atque cum Chanani non solum ad decretum regium, sed etiam ad Arscham provocet, qui tum praefectus Aegypti erat neque ullam potestatem Hierosolymis habebat (ibi enim Bagohi praefectus erat et Palaestina erat pars provinciae ʿAbarnaharâ), inter Judaeos in Aegypto commorantes quaerendus esse videtur. At-

[1] Jedonjah igitur minimum iam duodecim annos coloniae Judaeorum praefuit, cum papyrum primam, quae septimo decimo anno Darii II Nothi confecta est, scripsit.

[2] *F. Schwally* (Orientalistische Literaturzeitung XV, 1912, 162) illud festum in loco munito Jêb agere prius vetitum fuisse dicit. Neque enim Aegyptios Judaeis permittere potuisse, ut festum agerent, quo liberatio gentis a deo electae e servitute Aegyptia celebraretur. Sed illud quoque existimari posse in regno Persarum non licuisse ullum festum agere nisi magistratus id permisissent.

[3] Cum vino abstinere lugentium sit (PS 1, 21; 2, 20), festum autem paschae et azymorum laete agatur, *H. L. Strack* (Pesachim, Text mit Glossar, Übersetzung und Kommentar p. 7.* Leipzig 1911) opinatur hîc cerevisiam Aegyptiam bibere prohiberi, ad quam vetitum fermentati pertineat (cf. Pesachim 3, 1).

quae ex nonnullorum opinione PS 6 ad epistulas paschales pertinet, quas Judaei Aegyptii, ut se eandem religionem profiteri significarent, ante festum paschatis inter se mittere solebant.

Locis Esr 4, 5. 24; 5, 5—7; 6, 1. 12—15. Hgg 1, 1; 2, 10. Sach. 1, 1. 7; 7, 1 rex quidam Persarum nomine דָּרְיָוֶשׁ (Pers. *Dârayavauš*, *Dârayavaš*, Akk. *Dârijâmuš*) commemoratur. Is est tertius rex e domo Achaemenidarum, *Darius I Hystaspis* (521—485 a. Ch. n.).[1] In magna illa inscriptione, quae rupi calcariae sub monte Bisutûn (Behistûn, Behistân) in regione Kurdistân sito incisa est, tribus linguis, quae in regno Achaemenidarum maxime in usu erant (Persarum, Elamitarum, Assyriorum), memoriae tradit, quas victorias ex variis gentibus reportaverit.[2] Cuius inscriptionis fragmentum in linguam Akkadicam conversum a Germanis Babylone effossum est. Quo fragmento verisimile fit illam inscriptionem in alias quoque linguas conversam per gentes regni Persarum divulgatam esse.[3] Exemplar linguâ Aramaicâ confectum etiam ad Judaeos in Elephantine-Syene habitantes missum est. Quae ex eo permanserint, *E. Sachau* (Aramäische Papyrus und Ostraka aus Elefantine, in tabulis 52. 54—56. p. 185—205) collegit.

Quae ratio conversioni illi Aramaicae cum ceteris intercedat, hîc non est exquirendum. Quamquam respectu et eius documenti et papyrorum Aramaicarum, de quibus supra actum est, haec addimus: In libro Esrae complures epistulae inveniuntur, quae partim e Palaestina ad aulam Persarum, partim ab hac in Palaestinam missae sunt. Quae epistulae num verae atque incorrupta integritate sint, saepe dubitatum est. Cum autem in papyris Aramaicis epistulae eiusdem aetatis eiusdemque linguae et quae easdem scribendi leges sequantur ac saepe ad easdem res pertineant, inveniantur, nihil est causae, cur epistulas libri Esrae veras atque incorrupta integritate esse negamus.

Ut omnes orientis incolae, ita Judaei quoque in Elephantine-Syene habitantes narrationibus omnis generis proferendis delectari soliti sunt. Quarum una, quae ibi linguâ Aramaicâ confecta nota erat, est narratio de A c h i q a r (אחיקר),[4] viro sapientissimo.

[1] Dn 6, 1; 9, 1; 11, 1 Darius Medus commemoratur. Neh 12, 22 utrum Darius II Nothus an Darius III Codomannus intellegendus sit, non liquet.

[2] Conferas *L. W. King-R. C. Thompson*, The sculptures and inscription of Darius the Great on the rock of Behistun. London 1907.

[3] Ex alia inscriptione rupi calcariae sub monte Bisutûn incisa, sed tantum in lingua Elamitarum servata cognovimus Achaemenidas edicta non solum saxis incidere, sed etiam exempla eorum in omnes partes regni mittere solitos esse.

[4] Scriptio *Ach-jaqar* (= frater est carus) in nonnullis codicibus libri Tobiae (Ἀχιαχαρος, in codice Sinaitico Ἀχεικαρ) servata est, item in textu Aethiopico et Arabico *Chaiqar* (cf. Ἀχαικαρος apud Strab. Geogr. 16, 2, 38s.). In papyris quoque Aramaicis haud dubie *Achjaqar* legendus est. Quamquam scriptio *Achiqar*, id quod formae Graecae Ἀκικαρος et Ἀκιχαρος docent, iam mature exstitit.

Inter papyros Aramaicas, quas Germani in insula Elephantine effoderunt, fragmenta quoque, ubi saepius nomen Achiqar scriptum legimus, inveniuntur. Numeris 63 et 64 significata in museo Berolinensi servantur. Nr. 63 fragmenta trium columnarum (I septemdecim linearum, II quindecim linearum, III quindecim linearum), nr 64 unam columnam quindecim linearum continet. Nr 63 de historia Achiqar agitur, in iis de Achiqar capitis damnato, cui tamen carnifex pepercit; nr 64 sententias et fabulas continet. Tabulae 40—43 papyrorum ab *E. Sachau* anno 1911 editarum quidquid narrationis de Achiqar in insula Elephantine inventum est, tabulae 40—50 autem partes collectionis alicuius sententiarum et fabularum continent. Scriptura illorum fragmentorum eadem fere est atque eius epistulae, quam Judaei anno septimo decimo regis Darii II Nothi ad Bagohi, regis Persarum in Judaea praefectum, scripserunt. Illa igitur eiusdem sunt aetatis. Narratio de Achiqar, si Judaei insulae Elephantines quinto a. Ch. n. saeculo eam legerunt, circa annum 500 orta esse videtur. Sed multo antiquior esse non potest, propterea quod pro „lege" iam vocabulum Persicum *dât* usurpatur.

Narrationis de Achiqar conversiones Syria, Armenia, Arabica, Slavica ad nostram memoriam pervenerunt[1]. Qui textus singulis rebus inter se discrepant. Nonnullae „sententiae sapientis Chaiqar" etiam linguâ Aethiopicâ conscriptae permanserunt. Praeterea in vita Graeca Aesopi poetae fabularum, qui aetate Croesi (medio fere sexto a. Ch. n. saeculo) fuit, narratio de Achiqar ita immutata est, ut quod eâ traditur, id Aesopo in aula Lyceri regis Babyloniorum commoranti contingat.[2] Etiam in indice operum Theophrasti, discipuli Platonis et Aristotelis, liber, qui *Ἀκιχαρος* inscribitur, invenitur. Democritus quoque et Strabo narrationem de Achiqar noverunt. Ceterum ea narratio etiam in Germania nota fuisse videtur; nam in effossionibus Augustae Trevirorum factis in pavimento tesselato domus cuiusdam Romanae nomen *Ac] icar(us)* inventum est.

Quae narratio cum in papyris Aramaicis non integra tradita sit, breve eius argumentum secundum textum Arabicum proferimus: In aula Sanherib regis Assyriorum Achiqar vir sapientiâ praeclarus primus administer omnium eius consiliorum factorumque versatur. Iam grandis natu a rege petit, ut muneribus suis liberaretur, eique suadet, ut Nadin nepotem suum sibi successorem daret. Quod rex facit. Antequam autem Nadin munus susciperet, Achiqar eum commonet formâ sententiarum usus. Quo facto Achiqar munus deponit. At eius nepos malam gratiam referens Achiqar apud regem incusat, quod coniurationem in animo habeat, et Achiqar capitis condemnatur. Carnifex autem eum interfecturus misericordiâ commovetur,

[1] The story of Aḥiḳar from the Syriac, Arabic, Armenian, Ethiopic, Greek and Slavonic versions by *F. C. Conybare, J. Rendel Harris* and *A. Smith Lewis*, London 1898. Ed. II: The story of Aḥiḳar from the Aramaic, Syriac, Arabic. Armenian. Ethiopic, old Turkish, Greek and Slavonic versions, Cambridge 1913.

[2] Tantum nomina commutata sunt: pro Achiqar Aesopus positus est; Nadin ibi *Αἶνος* vel *Ἔννος*, rex non Sanherib, sed *Λυκῆρος* vel *Λυκοῦργος* vocatur. Cum Nadin ab Achiqar crudeliter puniatur, Ainos (Ennos) veniam impetrat. Etiam nonnullae fabulae Aesopi eaedem sunt atque quae libro de Achiqar continentur.

ut ei vitam condonet. Paucis post annis rex Aegyptiorum ad regem Assyriorum legatos mittit, qui eum adhortentur, ut sibi architectum mittat ad arcem in auris aedificandam. Cum in aula regis Assyriorum nemo sit, qui consilium proferre possit, carnifex ille regis Sanherib confitetur se Achiqar non interfecisse. Summo gaudio affectus rex Achiqar arcessit arcessitumque in gratiam recipit. Tum Achiqar in Aegyptum proficiscitur, ut voluntati Pharaonis obsequatur. Puerum aliquem in cistam includit, cui duas aquilas alligat. Cum primum aquilae evolant, puer Aegyptios adhortatur, ut sibi arenatum et lapides afferant ad arcem in auris aedificandam. Quo facto Pharao contentus est et amplis donis ornatus Achiqar in Assyriam redit. Nadin eius nepos crudeliter punitur et brevi repente moritur. Antea autem Achiqar eum rursus admonet formâ sententiarum usus.

Quae narratio ad vetus quoque testamentum aliquid pertinet. Atque primum quidem respiciendum est eam in libro Tobiae commemorari. Ibi 1, 21—22 scriptum legimus: *Καὶ ἐβασίλευσε Σαχερδονὸς υἱὸς αὐτοῦ ἀντ' αὐτοῦ, καὶ ἔταξεν Ἀχιάχαρον τὸν Ἀναὴλ υἱὸν τοῦ ἀδελφοῦ μου ἐπὶ πᾶσαν τὴν ἐκλογιστίαν τῆς βασιλείας αὐτοῦ καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν διοίκησιν. καὶ ἠξίωσεν Ἀχιάχαρος περὶ ἐμοῦ, καὶ ἦλθον εἰς Νινευῆ. Ἀχιάχαρος δὲ ἦν ὁ οἰνοχόος καὶ ἐπὶ τοῦ δακτυλίου καὶ διοικητὴς καὶ ἐκλογιστής, καὶ κατέστησεν αὐτὸν ὁ Σαχέρδονος ἐκ δευτέρας· ἦν δὲ ἐξαδελφός μου.* Ad quem locum adnotamus utramque narrationem eiusdem esse aetatis i. e. temporum Sanherib regis Assyriorum. 11, 17 scriptum legimus: *Καὶ παρεγένετο Ἀχιάχαρος καὶ Νασβὰς ὁ ἐξάλδεφος αὐτοῦ, καὶ ἤχθη ὁ γάμος Τωβία μετ' εὐφροσύνης ἡμέρας ἑπτά.* Ad quem locum adnotamus nomen Nasbas e Babylonio nomine Nadin corruptum esse. 14, 10 scriptum legimus: *Ἴδε τί ἐποίησεν Ἀμὰν Ἀχιαχάρῳ τῷ θρέψαντι αὐτόν, ὡς ἐκ τοῦ φωτὸς ἤγαγεν αὐτὸν εἰς τὸ σκότος καὶ ὅσα ἀνταπέδωκεν αὐτῷ· καὶ Ἀχιάχαρον μὲν ἔσωσε ἐκείνῳ δὲ τὸ ἀνταπόδομα ἀπεδόθη, καὶ αὐτὸς κατέβη εἰς τὸ σκότος· Μανασσῆς ἐποίησεν ἐλεημοσύνην, καὶ ἐσώθη ἐκ παγίδος θανάτου ἧς ἔπηξεν αὐτῷ, Ἀμὰν δὲ ἐνέπεσεν εἰς τὴν παγίδα καὶ ἀπώλετο.* Hîc de Haman quodam agitur, qui, cum Achiqar perdidit, ipse periit. Facile intellegas eum Haman easdem partes agere quas Nadin, ut pro nomine Haman nomen Nadin exspectes. Quod ita explicatur: Capite 13, quod canticum Tobiae continet, historia Tobiae confecta erat. Postea caput 14 additum est. Cum autem scriptor eius narra-

tionem de Achiqar iam non accurate nosset, pro nomine Nadin nomen Haman, quem inimicum Judaeorum e libro Esther noverat, et pro nomine Achiqar, quem exemplar probitatis existimabat, nomen Manasse posuit. Quod vero idem scriptor 11, 17 et 14, 10 de eadem persona non duobus nominibus prorsus diversis usus esset, illos locos non ab eodem scriptore profectos esse manifestum est.

Nonnulli existimant librum Tobiae narratione de sapiente Achiqar antiquiorem esse (ut *Fl. de Moor*, Tobie et Akhiakar. Le Muséon N. S. 1902, 445—489); quae de Achiqar in eo legantur, ex sermone hominum hausta esse (*P. Vetter*, Das Buch Tobias und die Achikar-Sage. Tübinger Theologische Quartalschrift LXXXVI, 1904, 321—364. 512—539; LXXXVII, 1905, 321—370. 497—546); immo vero auctorem illius narrationis Achiqar hominem, qui re vera fuit, e libro Tobiae sumpsisse (*F. Vigouroux*, La sainte Bible polyglotte III, 523. Paris 1902). Contra alii dicunt librum Tobiae a narratione de Achiqar dependere (*M. Lidzbarski*, Zum weisen Achikâr. Zeitschrift der deutschen morgenländischen Gesellschaft XLVIII, 1894, 671—675. *E. Cosquin*, Le livre de Tobie et l' histoire du sage Ahikar. Revue biblique VIII, 1899, 50—82. Encore l' histoire du sage Ahikar. ib. 510—531). Et cum inter papyros Aramaicas in insula Elephantine inventas fragmenta narrationis de Achiqar exstent, concedendum est eam iam sexto vel quinto a. Ch. n. saeculo pervulgatam fuisse, ut libro Tobiae, qui inter annos a. Ch. n. 250 et 150 scriptus est, antiquior sit. Ubi vero et quando orta sit, non constat. *W. Bousset* (Beiträge zur Achikarlegende. Zeitschrift für die neutestamentliche Wissenschaft VI, 1905, 180—193) eam in Perside conscriptam esse contendit. *A. Schollmeyer* (Die Herkunft der Achikarsprüche. Theologie und Glaube IV, 1912, 660s.) eam auctori Babylonio tribuit, quod nomen dei Schamasch in ea inveniatur. *Fr. Stummer* (Die Ursprache des Ahikarbuches. Orientalistische Literaturzeitung XVIII, 1915, 103—105) linguam primam narrationis de Achiqar Babyloniam fuisse putat. Id probabilitate non caret, quippe cum existimare possimus Judaeum aliquem magnâ sapientiâ praeditum a regibus Assyriorum summis dignitatibus honoratum esse ac multa merita sibi acquisivisse; quare posteros gratam eius memoriam retinentes historiam eius fabulosis additamentis exornavisse. Id quoque probabile est ea, quae in textu Graeco libri Tobiae de Achiqar scripta leguntur, non ab ipso auctore libri, sed a scriptore posterioris aetatis vel ex sermone hominum vel ex scriptis ad Achiqar pertinentibus historiae Tobiae inserta esse (*J. Müller*, Beiträge zur Erklärung und Kritik des Buches Tobit. XIII. Beiheft zur Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft 1—53. Gießen 1908).

Maiore autem momento sententiae sunt, quas narratio de Achiqar continet, quia iis multae similitudines cum sententiis veteris testamenti intercedunt. Quod nonnullis exemplis demonstretur. Cum dicto: „Praeter omnia serva os tuum . . . et cor tuum" conferas Prov 4, 23a: „Prae omni custodia (i. e. maiore sollicitudine, quam ullam earum rerum, quae a te custodiuntur) serva cor tuum." Atque quod ei dicto hoc additur: „Nam avis verbum longius fert", Koh 10, 20 scriptum legimus: „Nam avis caeli deferet hanc vocem." Cum dicto: „Duae res aliquid pulchri sunt et tertia libenter a Scha-

masch adspicitur" (hîc tres res enumerantur) conferas Prov 6, 16: „Sex sunt, quae odit Jahve, et septimum detestatur" (quae septem res v. 17—19 enumerantur) Cum dicto: „Filium tuum ne procul a baculo arceas . . . Si te, mi fili, percussero, non morieris" conferas Prov 23, 13s: „Ne prohibeas a puero disciplinam. Si percusseris eum virgâ, non morietur. Tu virgâ eum percutias et animam eius ab inferno erues" (i. e. castigatione efficies, ne in exitium ruat). Cum dicto: „Mollis est lingua . . . sed costas draconis confringit" (i. e. lingua, licet molle membrum sit, tamen magnas res delet, etiamsi tam firmae quam costae draconis mythici sunt) conferas Prov 25, 15: „Lingua mollis (placidus blandusque sermo) confringit ossa." Cum dicto: „Pulcher est adspectus regis ut solis et pretiosum eius ornamentum" conferas Jes 33, 17: „Regem in splendore suo oculi tui videbunt, cernent terram longiquitatum" (i. e. longe lateque patentem). Cum dicto: „Ne dives loquatur: Divitiis meis magnificus sum" conferas Jer 9, 22: „Non glorietur dives divitiis suis." In dicto: „Gladius claras inter amicos bonos aquas turbat" clara aqua signum est amicitiae, quâ violatâ illa turbatur. Eandem imaginem Ez 34, 18 invenimus, ubi propheta deum populo haec dicentem facit: „Num parum vobis est, quod puras aquas bibitis et reliquas (aquas) pedibus vestris conturbatis?" In dictis Achiqar fabulae quoque inveniuntur, in quibus arbores et stirpes loquentes inducuntur, quibuscum hae fabulae sacrarum litterarum comparandae sunt: fabula de arboribus regem electuris, qua Sichemitis stultitia exprobratur, quod Abimelech, filium nothum Gideonis, regem fecerint, postquam nobilissimi terrae regnum repudiaverint (Jdc 9, 7—15), et fabula de carduo filiam cedri filio suo uxorem postulante, qua rex Amasja admonetur, ne cum rege Joas bellum gerat, quod non plus profecturus sit quam carduus adversus cedrum (II Rg 14, 9 = II Chr 25, 18). Conferas Jes 14, 8: „Etiam cupressi super te gaudent, cedri Libani (dicentes): Ex quo occubuisti, nemo ascendet, qui succidat nos."

Exemplis allatis efficitur dicta et carmina Judaeorum insulae Elephantines veteri testamento simillima esse atque Judaeos illos cum Judaeis Palaestinensibus antiquitus coniunctionem et societatem habuisse.[1]

[1] Conferas *R. Smend*, Alter und Herkunft des Achikar-Romans und sein Verhältnis zu Aesop (XIII. Beiheft zur Zeitschrift für die alttestamentliche Wissen-

VII

Judaei in diaspora commorantes plerumque habebant sua iudicia, in quibus *κατὰ τοὺς πατρίους νόμους* (Jos. Ant. Jud. 14, 10. 17) iudicabatur. Num Judaei quoque in Elephantine-Syene commorantes suos iudices habuerint, satis reperiri non potest. In papyro F 3 scriptum legimus: זי עברן בסן (= Aram. די) על דינא. Sunt qui putent Aegyptios nomine עברן (Hebraeorum) omnes gentes, quae ab Euphrate ad occidentem versus habitabant (inter quas Judaei quoque numerandi sint), appellasse. At loco allato pro עברן haud dubie עברן (= 1. plur. perf. verbi עבד) legendum est, ut de ullo Judaeorum iudicio non agatur. Sacerdotes vero in rebus maritalibus iudices fuisse e papyro G 22 apparet, ubi sancitur, ne divortium ratum neve firmum sit, nisi „in consilio" (בעדה) nuntietur.

De Judaeorum illorum iure matrimonii haud pauca ex papyris C, D, G cognoscimus: Mibtachjah, filia Machsejah, anno a. Ch. n. 459 Judaeo cuidam nomine Jezanjah bar Urijjah nupsit. Qui postquam anno 440 mortuus est, eodem anno homini Aegyptio, Aschor bar Sacha,[1] nupsit, ex quo matrimonio duo filii, Jedonjah et Machsejah, orti sunt.

Ex iis papyris elucet usitatum fuisse matrimonium pactione litteris mandatâ inire, ut apud Babylonios antiquos pactio nuptialis ad matrimonium legitimum ineundum omnino necessaria erat (Cod. Hammurapi § 128: „Si quis uxorem duxerit, sed contractum cum ea non fecerit, mulier illa non est uxor"). In vetere testamento scriptae pactionis nuptialis tantum semel (Tob 7, 13) mentio fit.

Polygamiae in papyris nullum invenitur vestigium; immo vero e papyro G plane cognoscitur virum unam uxorem habuisse. Atque vir, ut in iure matrimonii et veteris testamenti et Babyloniorum, caput est familiae, non, ut apud Aegyptios, femina (id quod e duabus papyris demoticis, quae annis a. Ch. n. 493/492 et 340 scriptae sunt, apparet).

---

schaft 55—125'. Gießen 1908). *F. Nau*, Histoire et sagesse d'Achikar l'Assyrien. Paris 1909. *H. Grimme*, Bemerkungen zu den aramäischen Achikarsprüchen (Orientalistische Literaturzeitung XIV, 1912, 529—540). *Fr. Stummer*, Der kritische Wert der altaramäischen Ahikar-Texte aus Elephantine (Alttestamentliche Abhandlungen V, 5) Münster i. W. 1914. *B. Meißner*, Das Märchen vom weisen Achiqar (Der alte Orient XVI, 2) Leipzig 1917.

[1] Aschor bar Sacha „servus domus regiae" (*arad-ekal*, quod vocabulum est Akkadicum) fuisse dicitur. Eum autem architectum regium fuisse, id quod nonnulli existimant, demonstrari non potest.

In papyro D Mibtachjah prius matrimonium ineunti fundus quidam attribuitur (cf. Jos 15, 18s. Jdc 1, 14s.) simulque constituitur quam potestatem eius fundi maritus habeat. Eam, cum alterum matrimonium iniret, nullam dotem recepisse (pap. G) inde explicatur, quod eam iam acceperat atque etiamtum possidebat; praeterea e priore matrimonio hereditate fortunas acquisiverat (pap. F).

Cum Mibtachjah cum Aschor bar Sacha matrimonium iniret, hic Machsejah eius patri *môhar* (מהר) quinque siclorum argenti secundum rationem pecuniariam Persarum (= 5.80 M) solvit (G 5)[1] atque haec constituta sunt: Si Mibtachjah divortium fecisset cum marito, huic quinque siclos redderet; sin Aschor bar Sacha divortium fecisset cum uxore, quinque siclos perderet. Si matrimonium sine liberis fuerit, pars superstes totam rem familiarem a parte mortua relictam accipiat. Sponsus praeterea sponsam 65½ siclos (= 76.60 M) et quidem 12 siclos numeratos (= 14 M), novum amiculum laneum 8 cubita longum, 5 latum, pretio 28 siclorum (= 22.75 M), pannum 7 cubita longum, 5 latum, pretio 8 siclorum (= 9.35 M), pannum 6 cubita longum, 4 latum, pretio 7 siclorum (= 8.20 M), speculum aeneum pretio 1½ siclorum (= 1.80 M), duo pocula aenea, patinam aeneam etc. secum attulisse dicit. Sponsam autem multo plus secum tulisse quam sponsus patri eius dederat, inde intellegitur, quod non virgo, sed vidua erat.

Ex papyro G effici non potest, utrum vocabulum môhar pretium pro sponsa valeat. Neque ex vocabulo Syriaco, quod vocabulo môhar respondet, quidquam colligi potest, quo sponsam emptam esse demonstretur, quod id pretium emptionis valere adhuc nemo ostendit. Vocabulum Arabicum *mahrun* iam antiquitus non solum pretium sponsae, sed etiam donum sponsae datum valet; cum autem diiudicari iam non possit, utra vis prior sit, eo quoque vocabulo demonstrari non potest môhar pretium pro sponsa solutum significare. Si locos biblicos, qui pro more sponsae emendae afferuntur, respicimus, nisi Gn 29, 18—28 (cf. 31, 14 s.) nusquam de emptione sponsae agitur. Sed et hîc emptionis non ita mentio fit, ut necesse sit credere eam apud maiores Hebraeorum usitatam fuisse. Cum autem demonstrari possit morem sponsae emendae late divulgatam fuisse, haud dubie Judaeis quoque in Elephantine-Syene commorantibus notus fuit. Paelices, quae omnes fere servae erant, Judaei semper emptione sibi comparasse videntur; uxores autem ipsas eos emisse demonstrari non potest. Ceterum videas *A. Eberharter*, Was bedeutet Mohar? (Tübinger Theologische Quartalschrift XCV, 1913, 489—508).

[1] Eandem pecuniae summam patri solutam esse, cum Mibtachjah prius matrimonium cum Jezanjah bar Urijjah iniret, verisimile est.

Ut in vetere testamento (Gn 24, 53; 34, 12) et in iure antiquorum Babyloniorum (cod. Ḫammurapi § 150. 171. 172), ita in papyro G quoque dona a sponso sponsae data commemorantur. Quae autem G 15s. a sponsa sponso data esse dicuntur, ea pauca ac levia munuscula sunt. In vetere testamento et in iure antiquorum Babyloniorum eorum mentio non fit.

Apparet igitur bonorum ius coniugale apud Judaeos in Elephantine-Syene habitantes usitatum cum Aegyptio non congruere, cum apud hos (id quod ex papyris illis demoticis elucet) tantum munera a sponso sponsae data in usu essent, môhar autem sive pretium sponsae patri eius solutum, dos sive donum parentum filiae in matrimonium collocandae datum, munera a sponsa sponso data ignota sint.

Ius viri uxoris dimittendae (cf. Dt 22, 19. 29; 24, 1. Jes 50, 1. Jer 3, 8. Mal 2, 16. Mt 5, 31s; 19, 7. cod. Ḫammurapi § 141) in utroque matrimonio a Mibtachjah inito commemoratur (C 10 et G 28—29). Ut in codice Ḫammurapi § 141 iusta et iniusta dimissio uxoris discernitur; ut ibi § 142 atque in papyris demoticis, quas supra commemoravimus, etiam uxori ius viri dimittendi attribuitur (C 8 et G 22—26).[1]

De moribus Judaeorum in Elephantine-Syene habitantium e papyris non multa cognoscimus.

In papyris Graecis ab O. Rubensohn inventis atque editis de meretrice Elaphione Syra (*Ἐλάφιον Σύρα*) agitur. Syri et Judaei apud antiquos saepe confundebantur. In papyris quoque Aramaicis (id quod iam supra demonstravimus) idem homo modo Judaeus modo Aramaeus appellatur. Quae cum ita sint, Elaphion illa Syra Judaea existimanda esse videtur.

Inde autem, quod in papyro D (cf. etiam E 12) cavetur, ne quae syngrapha vitietur, efficiendum non est Judaeos urbis Syene litium cupidos fuisse ac syngraphas crebro vitiatas esse.

Num Judaei illi leges Pentateuchi de usura (Ex 22, 24. Lv 25, 36s. Dt 23, 20s.) observaverint, diiudicari non potest. Ex papyro L non apparet eos legem, quae a populari sive paupere sive divite usuram exigere vetat (Dt 23, 20s.), violasse. Nam quod eius initium non est integrum, num debitor homo Judaeus fuerit, reperiri non

[1] Ius uxoris viri dimittendi in lege Mosaica non commemoratur, in Mischna (Kethubot 5, 7) autem id ius viguisse ponitur.

potest. Item non constat, quantum usurae postulatum sit. In papyro L in singulos menses duo Challurin pro siclo constituuntur. Secundum C. Clermont-Ganneau siclus 192, secundum A. E. Cowley 40, secundum M. Lidzbarski 100 Challurin erat. Quare in singulos annos aut 12½ % aut 60 % aut 24 % solvebantur.

Quod ad rationem pecuniarum, quae in Elephantine-Syene versabatur, attinet, in papyris Aramaicis de sola pecunia argentea, nunquam de aurea sermo est. Utrum autem argentum signatum in usu fuerit an argentum tantum appensum sit, ex papyris perspici non potest. Computatur secundum Persarum rationem aerariam. *Siclus* (שקל) argenteus Persarum (*σίγλος Μηδικός* Graecorum) pondere 5 vel 5.7 gr (= $^2/_3$ sicli aurei) aequabat, pretio 1.17 M valebat. Dividebatur in *quadrantes* et *Challurin* (חלרן, sgl. חלר, *challur* = Akk. *challuru*). In communi vita כרש, *keresch*, *karasch*, *karsch* (plur. כרשן, *karschin*) magnum habebat usum. Idem valet quod decem sicli argentei (= עשרתא, cuius in papyris saepius mentio fit) atque Persarum nummo *karascha* (quod nomen in pondere quodam aetatis Darii I Hystaspis scriptum legimus) aequandus est. Alii non כרש, sed כבש (*kebes*) legendum esse putant, quod vocabulum „agnum" significat, ut ad formam metalli, quae erat agni, pertineat. In qua re de locis Gn 33, 19. Jos 24, 32. Job 42, 11 admoneri potest, ubi nummus *Kesita* (קְשִׂיטָה proprie = appensum, a radice קָשַׁט) commemoratur, qui formâ agni fuisse dicitur (cf. LXX et Vulg.). Si lectio כבש recte se habet atque id vocabulnm recte vocabulo agni vertitur, illis papyris opinio eorum, qui locis allatis lectionem LXX et Vulg *ἀμνῶν*, *agnorum* textum corruptum pro *μνῶν*, *minarum* esse putant, refutatur. *Stater*, qui in papyris litterâ ד vel ר significatur, idem valet quod duo sicli argentei. Nonnulli siclum quattuor ר aequant, ut ר correptio vocabuli רבע vel רבעתא (= quarta pars) habendum sit. Alii litterâ ד nummum aureum Persarum דַּרְכְּמוֹן (Esr 2, 69. Neh 7, 70—72) significari existimant. Ex nonnullorum opinione ד compendium est pro *δραχμή*.

Ex papyris id quoque cognoscimus, quae ratio Aegyptiorum ordini temporum cum Aramaeorum intercedat. Aegyptiorum annus a primo die mensis Thoth, qui illis temporibus in Decembrem incidit, initium cepit. Primus annus novi regis a primo die mensis Thoth, postquam ad regnum pervenerat, numerabatur. Quod tempus antecedebat, id ultimus annus regis mortui numeraba-

tur. Aramaeorum autem annus a primo die mensis Nisan initium cepit, qui dies illâ periodo dies sextus ante Kalendas Apriles fuisse videtur. In hac igitur numeratione primus annus novi regis a primo die mensis Nisan, postquam ad regnum pervenerat, initium ducebat. Quodsi novus rex inter Aprilem et Decembrem regnare coeperat. Aegyptii in numerandis regni annis anno plus Aramaei numerabant. Ex papyris perspicimus septimum annum Artaxerxis I Longimani ex Aegyptiorum numeratione a primo die mensis Thoth anni 459 usque ad eundem diem anni 458, ex Aramaeorum a primo die mensis Nisan anni 458 usque ad eundem diem anni 457 pertinuisse. Praeterea ex papyris efficitur Judaeos anno lunari, quem ad cursum solis accommodabant, usos atque annum ab aequinoctio verno orsos esse.

Ex multis praesidiis doctrinae, quae viri docti de Judaeis in Elephantine-Syene habitantibus ediderunt, praeter ea, quae iam allata sunt, hîc nonnulla commemorentur.

Boylan P. The new Aramaic papyri from Elephantine (The Irish theological Quarterly VII, 40—50).

Burney C. F. The priestly code and the new Aramaic papyri from Elephantine (The Expositor 8. S. III, 97—108).

Cook S. A. The Jewish temple of Yahu, god of the heavens, at Syene (The Expositor 7. S. IV, 497—505). The significance of the Elephantine papyri for the history of Hebrew religion (The American Journal of Theology XIX, 3, 346—382). The Elephantine papyri and the Old Testament (The Expositor 8. S. III, 193—207).

Cooke G. A. The Assuan papyri (The Journal of theological Studies VIII, 615—624).

Desnoyers L. Les nouveaux papyrus araméens d'Éléphantine (Bulletin de littérature ecclésiastique. 1908, 235—246).

Döller J. Der Papyrusfund von Assuan (Tübinger Theologische Quartalschrift LXXXIX, 497—507). Drei neue aramäische Papyri (ib. XC, 376—384).

Driver S. R. A Jewish temple in Egypt B. C. 525—411 (The Guardian 1907, 6. Nov.).

Eberharter A. Die aramäischen Schriftdenkmäler aus Elefantine und ihre Bedeutung für die alttestamentliche Wissenschaft (Theologisch-praktische Monats-Schrift XXIII, 265—275).

Eerdmans B. D. Een nieuwe Jahwe-tempel (Theologisch Tijdschrift 1908, 1, 72—81).

Epstein J. N. Jahu, ASMbêthêl und ANTbêthêl (Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft XXXII, 139—145).

Everts W. W. The Aramaic papyri at Elephantine (Bibliotheca sacra LXVIII, 94—104).

Gall A. v. Die Papyrusurkunden der jüdischen Gemeinde in Elephantine in ihrer Bedeutung für jüdische Religion und Geschichte. Gießen 1912.

Gunkel H. The Jâhû temple in Elephantine (The Expositor 8. S. I, 20—39).

Halévy J. Inscription Araméenne d'Éléphantine (Revue sémitique XVI, 93—99. 224—240). Les nouveaux papyrus d'Éléphantine (ib. XIX, 473—497; XX, 31—78. 153—177).

Hontheim J. Die neu entdeckten jüdisch-aramäischen Papyri von Assuan (Biblische Zeitschrift V, 225—234). Zu den neuesten jüdisch-aramäischen Papyri aus Elefantine (ib. VI, 245—261).

Hoonacker A. van, Die rechtliche Stellung des jüdischen Tempels in Elephantine gegenüber den Einrichtungen des Alten Testaments (Theologie und Glaube I, 438—447). Une communauté Judéo-Araméenne à Éléphantine en Égypte au VIe et Ve siècle avant J.-C. Oxford 1915.

Jampel S. Der Papyrusfund von Assuan (Monatschrift für Geschichte und Wissenschaft des Judentums LI, 617—634).

Johns C. H. W. Te Assuan Aramaic papyri (The Expositor 7. S. III, 544—551).

Köberle J. Die Papyri von Assuan und das Alte Testament (Neue kirchliche Zeitschrift XIX, 173—206).

König E. Religionsgeschichtliche Hauptmomente in den Elephantinetexten (Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft XXXV, 110—119). Die Elephantinegemeinde und der Monotheismus (Neue kirchliche Zeitschrift XXVI, 383—402).

Lagrange M. J. The Jewish military colony of Elephantine under the Persians (The New York Review 1907, Sept.-Oct. 129—144). Les nouveaux papyrus d'Éléphantine (Revue biblique N. S. V, 325—349).

Lévi J. La colonie juive d'Assuan au Ve siècle avant l'ère chrétienne (Revue des études juives LIV, 35—44). Le temple du dieu Yahou et la colonie juive d'Éléphantine au Ve siècle avant l'ère chrétienne (ib. 153—165).

Lidzbarski M. Ephemeris für semitische Epigraphik III (Giessen 1915) 69—84. 238—260: Zu den armäischen Papyri.

Lods A. Les découvertes d'Éléphantine et l'Ancien Testament. Montbéliard 1910.

Margoliouth D. S. The new papyri of Elephantine (The Expositor 7. S. IV, 481—494).

Margolis M. L. The Elephantine documents (Jewish quarterly review N. S. II, 419—443).

Muuß R. Der Jahwetempel in Elephantine (Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft XXXVI, 81—107).

Nöldeke T. Neue jüdische Papyri (Zeitschrift für Assyriologie und verwandte Gebiete XXI, 195—205).

Peters N. Die jüdische Gemeinde zu Syene im fünften Jahrhundert v. Chr. Geburt nach den Papyri von Assuan (Der Katholik LXXXVII, 2, 310—320. 369—377).

Sayce A. H. The Jewish garrison and temple in Elephantine (The Expositor 8. S. II, 97—116). The Jews and their temple in Elephantine (ib. 417—434).

Schultheß F. Aramaic papyri discovered at Assuan (Göttingische gelehrte Anzeigen CLXIX, 181—199).

Schürer E. Der jüdische Kalender nach den aramäischen Papyri von Assuan (Theologische Literaturzeitung XXXII, nr. 3).

Smith J. M. P. The Jewish temple at Elephantine (The Biblical World XXXI, 448—459).

Staerk W. Die jüdisch-aramäischen Papyri von Assuan sprachlich und sachlich erklärt. Bonn 1907. Aramäische Urkunden zur Geschichte des Judentums im 6. und 5. Jahrhundert v. Chr. ib. 1908. Alte und neue aramäische Papyri übersetzt und erklärt. ib. 1912 (Kleine Texte für theologische Vorlesungen und Übungen von H. Lietzmann, nr. 22—23. 32. 94).

Steuernagel C. Die jüdisch-aramäischen Papyri und Ostraka aus Elephantine und ihre Bedeutung für die Kenntnis palästinischer Verhältnisse (Zeitschrift des deutschen Palästinavereines XXXV, 85—104).

Witzel T. Urkundenfunde in Oberägypten aus dem 6. Jahrhundert v. Chr. (Pastor bonus XXI, 371—379. 437—442. 481—487). Documenti aramaici del secolo V avanti Cristo, trovati nell' Egitto superiore (Rivista storico-critica delle science teologiche V, 680—690).

Alia eiusdem auctoris opera:

De polytheismo universo et quibusdam eius formis apud Hebraeos finitimasque gentes usitatis. XXXI et 341 p. Tres tabulae geographicae additae sunt. Oeniponte, 1908, Wagner.

De Hebraeorum ante exsilium Babylonium monotheismo. XXIX et 191 p. Oeniponte, 1910, Wagner.

De polytheismi origine quae sit doctrina sacrarum litterarum patrumque ecclesiae. IX et 149 p. Oeniponte, 1911, Vereinsbuchhandlung.

De diis gentilium quid sacrae litterae veteris testamenti iudicent. XI et 189 p. Oeniponte, 1912, Vereinsbuchhandlung.

Archaeologia biblica. XVIII et 824 p. Viginti tres imagines additae sunt. Oeniponte, 1917, Wagner.

Formae cultus Mosaici cum ceteris religionibus orientis antiqui comparatae. VIII et 85 p. Oeniponte, 1917, Vereinsbuchhandlung. Nova editio sub prelo est.

Hermeneutica biblica. 158 p. Oeniponte, 1923, Rauch. Ratisbonae et Neo Eboraci apud Pustet.

Quaestiones de vetere testamento et comparativa religionum historia recentiore aetate propositae. XV et 95 p. Abbatia B. M. V. de Tongerloo (Belgium) 1925.

Commentationes biblicae. I. *De religione populari Israelitarum.* 62 p. Oeniponte, 1927, Rauch.

De antiquis Arabiae incolis eorumque cum religione Mosaica rationibus